



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.  
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Tractatus VII. De Peccato Originali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)





# TRACTATUS VII.

DE

## PECCATO ORIGINALI.

### PROLOQUIUM.

**P**ostquam *personalis peccati* stygiam larvam ab oculis tuis removi, Amice Lector, ecce! novum monstrum objicitur, *peccatum originale*; hydra non minus caudâ, quàm capite metueda: Capite; nam est culpa Capitis, & à capite venenum lethale diffudit in omnia humanæ naturæ membra: Caudâ quoque; non enim tertiam tantum partem, ut ille draco Apocalypticus; sed omne genus humanum (exceptâ illâ, quæ *caput serpentis contrivit*) feralibus, & ineluctabilibus spiris implicuit. Tractatum de hoc originali peccato angelicus Doctor suscepit q. 81. & per tres consequentes quæstiones expedivit, cum ageret de causis peccati; ubi post varias peccatorum causas, ostendit, in peccato originali etiam hominem homini lupum esse, quamvis de eodem in 4. contra gentes à c. 50. usque ad 52: & q. 4. & 5. de malo jam prius disputaverit. Mihi materiæ gravitas & amplitudo persuasit, ut originale peccatum, tanquam personali oppositum in specialem Tractatum digererem. Necessitatem hujus Tractatus agnoscit D. Augustinus eo ex capite, quod tota fermè doctrina fidei & Religionis Christianæ illius notitiam & fidem præsupponat: *In causa duorum hominum* (inquit de peccato originali c. 23.) *per quorum unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Christiana consistit.* Difficultatem quoque illius ingenuè fatetur l. 3. de peccator. mer. & remiss. c. 4. dicens: *Licet nihil sit hoc peccato ad prædicandum notius, nihil tamen est illo inter fidei nostræ mysteria ad intelligendum secretius.* Quam tamen difficultatem ductu angelici Doctoris superare & eluctari conabimur.

## DISPUTATIO XXVI.

DE

### Existencia peccati originalis.

**N**omine peccati originalis à Catholicis intelligitur quidam defectus moralis, *sive* labes, quæ hominem naturali viâ generationis ex Adamo totius humani generis Capite descendente, ex vi illius peccati, quod primus parens commisit, comitatur & inquinat, ac quamdiu non abluitur, aut remittitur, DEO exosum reddit, eumque ab æterna beatitudine excludit. Dicitur originale, partim quia derivatur ab Adamo, qui est caput & origo naturæ humanæ, partim quia à prima origine & instanti ani-



ti animationis, quo anima corpori infunditur, & vi propagationis feminalis animam maculat, ex quo capite etiam dicitur peccatum naturæ.

## ARTICULUS I.

*An detur peccatum originale?*

## SUMMARI A.

1. Quid nominis peccatum originale?
2. Hereses de peccato originali.
3. Hereses recentiores.
4. Veritas Catholica ostensa ex Conciliis.
5. Ex S. Scriptura.
6. Ex baptismo infantum.
7. Ex effectis.
8. Exponuntur objecta testimonia S. Script.
9. Exponuntur testimonia.
10. Solvuntur rationes hereticorum.
11. Et ostenditur, honestatem conjugii non violari per traditionem peccati originalis.

## §. I.

*Veritas Catholica.*

2. **V**arias hereses circa peccatum originale ortus evomuit. Ex antiquis fuit in primis heresis Manichæorum, dicentium, quod Adamus peccando nobis nihil, sed sibi soli nocuerit. Unde etiam negabant mortem corporis, aliasque miseras esse effectum peccati originalis. Eundem errorem in initio tenuere Pelagiani, sed ut habet S. August. l. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 6. & l. de heres. hær. 88. postea verò, ut satisfacerent objectis, S. Script. autoritatibus, ac definitioni Concilii Palæstini, in quo prædicta heresis fuit damnata, dixerunt, Adæ peccatum posteris nocuisse non verà propagatione, sed imitatione & exemplo, prout refert idem S. P. lib. de pecc. origin. à c. 12. usq; ad 17. Postremò tandem concesserunt nocuisse quoad mortem ac penas corporis, non autem quoad mortem animæ, & verum aliquod peccatum, ut habet S. August. l. 4. contr. 2. epist. Pelag. Accesserunt Armeni VII. sæculo, qui apud Gualterium, cum baptismum ad salutem necessarium esse dicerent, tamen tollebant originale peccatum, & Sacramentis vim gratiam conferendi adimebant.
3. Hos posterioribus sæculis secuti sunt Albigenes apud D. Antoninum p. 4. tit. 11. c. 7. §. 5. Abailardus ep. 188. Zwinglius in l. de baptismo dicens: *Peccatum originis non esse peccatum, sed naturæ morbum.* Joannes Westphalus apud eundem Gualter. ad annum 1600. c. 12. n. 12. dicens: *Non esse peccatum ullum originis, neque S. Augustino, qui id asserat, fidem ullam habendam esse.*
4. Adversus istos hereticorum errores est incunctum fidei dogma. peccatum originale habere veram rationem culpæ per naturalem propagationem à primo parente traductæ in posteros. Ita contra Pelagianos definitum est in Concilio Palæstino, cujus meminit D. Augustinus l. 1. contra Julian. c. 2. In Milevitano, can. 2. Africanano 11. c. 2. iis præcipue verbis: *Injustitiam DEO dare convincitur, qui mortem sine peccato, quod est*

*meritum mortis, transire dicit.* Florentino in Decreto Unionis. In Tridentino sess. 5. de pecc. orig. definiens can. 2. *Si quis Adæ peccationem sibi soli, & non ejus propagationem, & iustitiam, & acceptam à DEO sanctitatem & iustitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per obedientiam peccatum mortem, & penas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, santhtem asserit, &c.*

Deducitur primò ex manifestis S. Scripturae testimoniis. Et primò ex Job c. 14. v. 4. *Qui restituit facere mundum de immundo conceptum semine?* quem textum 70. Interpp. quos sequuntur DD. Augustinus, Cyprianus, Ambros. legitur. *Nemo mundus à sordis, nec infans, cujus est tantum diei vita super terram.* Et Hebræi: *Quis dedit mundum ab immundo? non unus, etiam si breves dies ejus.* Quæ porro ista labe, quæ etiam unum diei infantem polluit, nisi originalis, cum de spirituali labe animæ sermonem esse ostendant verba adjuncta: *Nonne tu, qui solus es?* Et rursum: *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium.* Spirituales quippe sordes ablucere, proprium DEI munus est: neque pro alia, quam animæ labe & culpa aliquis adducitur in iudicium.

Secundò in Psal. 50. v. 7. David, *Ecce iniquitatem in iniquitatibus conceptus sum.* Hebræi: *in iniquitate.* Quòd cum non possit intelligi de iniquitate parentum, siquidem David ex legitimo fuit toto progenitus, neque de propria personali, solum potest accipi de iniquitate, & peccato originali.

Tertiò. Apostolus ad Rom. c. 5. v. 12. *Primum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ex quibus sic arguitur: Juxta Apost. Unius nepoti primi hominis peccatum fuit causa, ut peccatum omnes homines corripere[et] [ideo dicit, in quo omnes peccaverunt] & obnoxios morti redderet, sed hoc non est peccatum personale, cum peccatum neque etiam ad infantes peccati personalis incapaces; ergo tantum est peccatum originale. Atque ita hunc locum ab Ecclesia semper intellectum testatur Trid. loco cit. Nec quicquam vellet responsio Pelagianorum dicentium, quòd peccatum Adami non propagatione, sed imitatione transferret in posteros. Nam primò dictum Apostoli comprehendit etiam infantes, qui Adamum peccando imitari non potuerunt. Secundò, Hæc ratio Apostoli potius debuisset dicere, quòd per diabolum peccatum intraverit in mundum, siquidem ipse primus peccando malum exemplum dedit sui sequacibus. Eandem doctrinam



confirmat Apostoli comparatio sub finem ejusdem cap. inter inobedientiam Adami, & obedientiam Christi: *sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam iusti constituentur multi.* Et illa consequentia 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Sed constat, Christum fuisse mortuum pro omnibus hominibus, etiam parvulis: ergo omnes fuere mortui peccato non utique personali: ergo originali.

6. Probat secundò antiquissimà Ecclesie consuetudine etiam infantes baptizantis, ad ablendum in ipsis peccatum originis, prout per formam baptismi significatur. Nec est alicujus momenti responsio Pelagianorum dicentium, non dari parvulis baptismum in remissionem peccati, sed ad aperiendam januam regni coelestis. Nam contra est primò: quòd primarius finis & effectus, quem baptismus practicè significat, est emundatio à peccato, & spiritualis regeneratio, hoc est, justificatio, quà de causa Tit. 3. vocatur *lacrarium regenerationis.* Et Ephes. 5. dicitur *Christus mundans Ecclesiam lacro aqua.* Unde contra est secundò. Quòd coelum non aperitur nisi removendo prohibens iis, qui per peccatum à coelo fuerunt exclusi, unde nisi parvuli haberent peccatum, etiam à coelo non essent exclusi nec illius aperature indigerent.

7. Probatur tertio ratione. Ubi reperitur necessarius effectus alicujus causae, ibi & ipsam causam reperiri necesse est: sed necessitas moriendi, aliaque miseriae corporales sunt necessarii effectus peccati originalis juxta Divinam comminationem. Genes. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Et Apostoli testimonium in cit. Rom. c. 5. dicens, quòd *per peccatum primi hominis in omnes homines mors pervenit.* Insuper comitatur hominem à principio suae conceptionis: ergo eundem etiam ab initio suae conceptionis comitatur peccatum originale.

## §. II.

## Solvuntur objectiones.

8. Objiciunt primò authoritatem S. Script. nam Ezech. 18. dicitur. *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem Patris:* atqui si daretur peccatum originale, filius portaret iniquitatem Patris:

Secundò. Rom. 5. dicitur. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen; etiam in eos, qui non peccaverunt:* ergo licet omnes mortem corporis, non tamen omnes mortem animae, seu peccatum ab Adam traxerunt.

Tertio ibidem dicit Apostolus: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi:* ergo non omnes per originem, sed multi per imitationem facti sunt peccatores.

Quartò. 1. Cor. 7. ad Christianos Apostolus dicit: *Filii vestri sancti sunt:* ergo non sunt peccatores.

Quintò. Rom. 4. dicitur: *Ubi non est lex, nec praevicatio:* sed parvuli recens concepti non sunt capaces legis: ergo nec praevicacionis.

Respondeo ad 1. illum locum juxta expositionem S. Hieronymi loqui de poena spirituali a-

nimè, non de culpa: atqui peccatum originale non est propriè poena, sed culpa, & quidem non aliena tantum, sed etiam nostra, ideoque cum propter peccatum originale poenas tum corporales tum spirituales patimur, non pro aliena, sed pro nostra culpa punimur.

Ad 2. Respondeo per Tò *non peccaverunt*, intelligi peccatum personale, quòd satis intelligitur ex adjunctis verbis: *in quo omnes peccaverunt.* Mens igitur Apostoli est, ostendere, mortem corporis non esse effectum peccati personalis cujusvis hominis; siquidem illi quoque, qui nunquam personaliter peccaverunt, moriuntur.

Ad 3. dico, Tò *multi idem significare*, quòd omnes, cum immediatè Apostolus praemisit illa verba: *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, quo modo etiam Christus dixit: *qui pro multis effundetur*, hoc est, *pro omnibus.*

Ad 4. Respondeo Apostolum solum loqui de sanctitate legali, ut idem sit sancti, quòd legitimi. Alii exponunt de sanctitate non in actu, sed potentia proxima, eò quòd ob fidem parentum facile posset filii applicari baptismus.

Ad 5. distinguo subsumptum: parvuli in se spectati non sunt capaces legis, concedo; in suo capite, in Adamo spectati, nego: ergo non possunt peccare & praevicari in se, & peccato personali, concedo; ut contenti in Adamo, & peccato originali, nego.

Objiciunt secundò authoritatem quorundam SS. PP. in primis Hieronymi, qui super Ezech. c. 19. ait, *Animam infantis esse sine peccato.* Deinde Ambrosii in illud Psal. 48. *Iniquitas calcanei mei, &c.* dicit, nos ex Adamo non contraxisse peccatum, sed lubricum delinquendi. Dignum Chrysostomi in epist. ad neophytos dicentis: *Hac de causa etiam infantes baptizamus; cum non sint inquinati peccato, ut eis detur, vel addatur sanctitas, & adoptio, &c.*

Ad hanc objectionem respondit D. Augustinus l. 1. cont. Julianum, vindicans SS. PP. à calumniis haereticorum, praesertim Chrysostomum, cujus verba ex Græco sic legenda ostendit: ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes, & dicit textum intelligendum esse de peccatis propriis. Mox tacitam adversariorum replicam depellens subjungit: *At inquit, cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quaestione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur.* Quae responsio etiam satisfacit ad testimonia ex Hieronymo & Ambrosio adducta; nam Ambrosius quoque cum dicit, nos ex Adamo non contraxisse peccatum, sed lubricum peccandi, per peccatum intelligit personale; & actuale peccatum, quòd propria voluntate committitur; per lubricum verò delinquendi intelligit vel ipsum peccatum originale, tanquam causam & radicem peccandi, vel fomitem concupiscentiae, qui culpam originalem praesupponit. Dici etiam potest cum Ysamberto ad q. 81. disp. 1. a. 4. commentaria, ex quibus haec testimonia Hieronymi & Ambrosii assumuntur secundum communem opinionem his SS. PP. falsò adscribi.

Obji-



10. Obijciunt tertio ex ratione. Si peccatum traduceretur ex Adamo, etiam anima traduceretur ex ipso: sed consequens est falsum: anima quippe creando infunditur: ergo. Sequela probatur: Peccatum est subjective in anima: ergo cum ipsum non possit seorsim traduci, necesse erit, ut una cum subiecto suo traducatur, & sic anima humana erit per traducem, quod est falsum.

Secundo, non est assignabilis causa peccati originalis animam actu inficientis: ergo nullum datur. Antecedens probatur. Vel illius causa esset, qui generat, vel qui generatur, vel DEUS infundens animam, vel Adamus. Non qui generat, aliis damnanda erunt conjugia, quæ per actum generationis transfundunt originale peccatum; non qui generatur, ut per se patet. Non DEUS, quem implicat esse causam peccati, non Adamus, quem probabilis est nullum habuisse peccatum, cum filios cepit generare, primo peccato jam per penitentiam deleto.

Respondeo ad primum, negando sequelam, & consequentiam probationis; sufficit enim, quod totus homo, qui in lumbis Adami peccantis continebatur, vi ultimarum dispositionum, quæ sunt per seminalem propagationem, ex Adamo propagetur, & anima corpori sic ultimè disposito intundatur, ut è sequentibus magis patebit.

Ad 2. nego antecedens: nam causa hujus peccati erat voluntas Adami, quatenus fuit moraliter voluntas omnium posterorum. Probationem in contrarium distinguo, peccatum Adami

cum filios generaret, jam erat per penitentiam deletum, prout erat personale, & ipsi proprium, concedo; prout erat originale, & voluntarium voluntate capitis, nego. Tunc enim, cum penitentiam ageret, jam à capitis dignitate deciderat.

Sed instas: Necdum salvatur honestas conjugii, & commercii maritalis; quia tametsi ab Adamo mediatè & remotè per propagationem seminalem traducatur originale peccatum: ad hanc tamen traductionem proximè & immediatè concurrunt parentes vacando generationi; sed qui cooperatur ad alterius peccatum, & concurret ad ipsius spirituale nocumentum, peccat; ergo etiam parentes per generationem prolis concurrendo ad ejus nocumentum spirituale, nempe peccatum originale, peccabunt.

Respondeo, negando assumptum, & suppositum probationis, quod Adamus mediatè, & proximi parentes proximè concurrant ad traductionem peccati originalis: cum enim juxta dicenda in sequenti disputatione, ista traductio fiat propterea, quod semen humanum habeat privativam carentiam illius vigoris, quo in statu innocentie poterat propagare justitiam originalem; illa verò privativa carentia dependeat à sola voluntate Adami tanquam capitis, ideo proximi parentes nullo modo ad eandem concurrunt, aut cooperantur; sed hæc ipsa carentia privativa in solius Adami voluntatem refunditur, & ad actum generationis non nisi concomitantè, & per accidens se habet.

## ARTICULUS II.

### Quomodo peccatum originale sit voluntarium?

#### SUMMARI A.

1. *Propositio difficultatis.*
2. *Aliud voluntarium formale, aliud terminativum.*
3. *Terminativum applicatur parvulis.*
4. *Quid intelligatur nomine pacti cum Adamo.*
5. *Ostenditur hujus pacti possibilitas.*
6. *Et probatur necessitas.*
7. *Quod debuit esse Adamo revelatum.*
8. *Peccatum originale est parvulis terminativè voluntarium.*
9. *Respondetur ad rationem difficultatis.*
10. *Replica solvitur.*

#### §. I.

##### *Prænotanda.*

1. **A**dhuc superest difficultas, quo pacto originale peccatum possit habere veram rationem culpæ: omnis quippe culpa debet esse voluntaria: atqui macula originalis non est infantibus voluntaria, qua de causa etiam ante baptismum innocentes vocantur: ergo macula originalis non potest habere veram rationem culpæ. Pro cuius dubii resolutione, prænotanda est in primis diversâ acceptio voluntarii. De quo
2. Notandum primò ex alibi dictis, quod voluntarium sit duplex: unum consistens in actuali voluntatis exercitio, quod dicitur voluntarium formale, cujus generis sunt omnes actus, & omis-

siones liberæ voluntatis. Aliud voluntarium est terminus & effectus prædicti exercitii, & dicitur voluntarium terminativum, quo modo habituale peccatum diximus esse terminativè voluntarium. Nam & peccatum aliquando sumitur pro actuali voluntatis defectu, quo DEUS offenditur, & aliquando pro sequela & macula à peccato relicta, quæ peccatum habituale dicitur, eo quod non se habeat transeunter, sed permanentè.

Notandum secundo. Habitale peccatum rectè dividi in personale, & originale. Illud est, quod in anima resultat ex peccato propriâ voluntate commissio; istud, quod ex voluntate habituale peccatum non requiritur, ut actualiter à voluntatis influxu procedat, sed sufficit, quod ab illa per proprium voluntatis influxum processerit; ita peccatum originale, cum non sit propriâ voluntate commissum, non requirit, quod à propria parvulorum voluntate processerit, sed sufficit, quod præcesserit actus voluntatis alienæ, quæ ipsorum voluntas moraliter reputabatur. Quod quidem voluntarium, etsi non sufficiat, ut peccatum dicatur, & sit parvulis voluntarium physicè; sufficit tamen, ut sit & dicatur ipsis voluntarium moraliter, vi moralis transfusionis ipsorum voluntatis in voluntatem Adami factæ per decretum & pactum Divinum. De quo



## §. II.

*Exponitur pactum DEI cum Adamo.*

4. Notandum primò. Nomine pacti hoc loco nihil aliud intelligi, quam decretum Divinum Adamo notificatum, quòd si Adam DEO obediens in accepta iustitia perseveraret, eandem quoque iustitiam originalem in omnes suos posteros ex se gignendos propagaret, & quod Adam fecisset, pro tota sua posteritate fecisse censeretur. Quo proinde pacto debebant omnium hominum voluntates moraliter transfundi in voluntatem Adami, ipsiusque voluntas haberi moraliter pro voluntate totius generis humani in ipsius lumbis etiam physicè contenti.

5. Notandum secundò. Eiusmodi decretum seu pactum esse possibile: nam potest homo in hominem, v. g. procuratorem, & mandatarium, suam transfundere voluntatem, ut, quod ille fecerit, suo nomine factum censeatur, eosdemque effectus sortiatur, ac si ipse fecisset: potest supremus Princeps voluntatem subditi, non expectato ipsius consensu transfundere in voluntatem alterius, ut voluntatem pupilli in voluntatem tutoris: ergo multò magis DEUS, qui iuxta D. Augusti, magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, potuit omnem nostram voluntates conjungere cù voluntate unius principii originantis: præsertim cum nemo nostrum potuisset esse rationabiliter invitus, ubi de summo favore, nempe transfusione præstantissimi doni iustitiæ originalis naturæ humanæ prorsus indebiti agebatur: neque alia conditio onerosa fuerit imposita, quam observantia præceptorum, quæ tunc Adamo propter naturæ integritatem, Divinorumque auxiliorum abundantiam erat facillima. His positis

6. CONCLUSIO PRIMA. Eiusmodi pactum cum Adamo initum de factò necessariò est admittendum. Ita comm. Catholicorum.

Ratio est. Peccatum originale debet nobis aliqua ratione esse voluntarium [aliàs enim culpæ & peccati imputabilis rationem habere non potest] non est autem voluntarium voluntate propria, cujus nullus adest actualis & personalis influxus: ergo est voluntarium voluntate alienâ ipsius Adæ: sed ex Adami voluntate non potest nobis esse voluntarium, nisi voluntas Adami moraliter habeatur pro nostra voluntate: ergo ut peccatum originale sit nobis voluntarium ex Adami voluntate, debet ipsius voluntas moraliter haberi pro omnium nostrum voluntate. Atqui hoc non habet voluntas Adami ex sua natura, aliàs non tantummodo primum, sed omnia quæcunque Adami peccata debuissent propagari in posteros: ergo hoc habet ex ordinatione Divina Adamo indicata sub illis verbis: *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: quam Divinam ordinationem ab Adamo acceptam pactum nominamus indicatum Os. c. 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt omnes*. Quæ verba de pacto inito cum Adamo in paradiso interpretantur Hieronymus, Cyrillus, Prosper, aliique.

7. Ex quo intelliges, hoc Divinum decretum, seu pactum necessariò fuisse Adamo manifestatum.

Ratio est. Ut Adami peccatum non tantum esset personale peccatum tanquam hominis privati, sed etiam peccatum capitis, omnes posterorum voluntates in se moraliter complectentis, debuit ut sic esse ipsi voluntarium: sed nisi fuisset ipsi revelatum, quòd esset constitutus caput non solum naturale, sed etiam morale totius posteritatis, qui vel perseverando eidem prodesset, vel prævaricando eidem noceret, non fuisset ipsi ut sic voluntarium, quod enim est propria voluntate voluntarium, necessariò est præcognitum: ergo oportebat, eiusmodi decretum Adamo esse perfectum, unde etiam pacti denominationem accepit, in quo duorum mutua notitia & voluntas semper intervenit.

## §. III.

*Resolutio questionis.*

CONCLUSIO SECUNDA. Peccatum originale ut derivatum in posteros, & in ipsis subiectatum non est formaliter sed terminativè, non physicè sed moraliter voluntarium, per ordinem ad voluntatem Adami tanquam capitis. Ita Thomista.

Ratio ex dictis est. Omne peccatum etiam habituale debet esse voluntarium: sed peccatum originale est veri nominis peccatum, & culpa reddens hominem DEO odiosum: nam ita appellatur Dan. 9. *Ut deleatur iniquitas, & finem accipiat peccatum*. Et Jo. 1. *Ecce Agnus DEI, qui tollit peccatum mundi*, uti legit D. Augustinus & Venerab. Beda: ergo debet esse voluntarium. Unde etiam D. August. l. 1. Retr. c. 13, etiam de peccato originali dicit intelligendum, quod alibi dixerat, *nullo modo esse peccatum, quòd non est voluntarium*; atqui non est voluntarium formaliter & physicè voluntate propria, ut patet; ergo terminativè & moraliter per ordinem ad voluntatem Adami, qui moraliter habeatur pro tota hominum universitate. Quod pulchrè exemplificat S. D. hic q. 81. a. 1. his verbis. *Homines ex Adam derivati sunt tanquam multa membra unius corporis: alius autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate anime, que primo movet membrum. Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motu generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas anime movet omnia membra ad actum*. Hæc S. D.

Ex quibus patet responso ad rationem difficultatis. Omnis culpa debet esse voluntaria, vel formaliter, vel terminativè, vel voluntate propria, vel alienâ, concedo; tantum formaliter & voluntate propria, nego. Sed macula originalis non est voluntaria formaliter, & voluntate propria, concedo; terminativè, & voluntate alienâ, nego minorem & consequentiam.

Dices tamen primò. Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione: sed peccatum originale non est in parvulis à principio intrinseco, sed extrinseco, nempe Adamo, & est sine cognitione, cum usu rationis careant: ergo non potest ipsi esse voluntarium,

K k

Secun-



Secundò : Voluntarium debet esse liberum, & in ejus potestate, cui voluntarium dicitur: sed originale non est in potestate parvulorum, ut sit, vel non sit: ergo non est ipsius voluntarium.

Respondeo ad 1. Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione, si sit voluntarium physicum & formale, concedo; si sit terminativum & morale, nego. Vel subdistinguo: Est à principio intrinseco voluntatis alienæ cum cognitione alienæ rationis, concedo; propria, ne-

go. Et sic distincto consequente, nego consequentiam.

Ad 2. distinguo majorem. Voluntarium personale, quod est voluntarium voluntate persona, debet esse in ejus potestate, concedo; voluntarium capitale, quod est voluntarium voluntate capitis, nego majorem. Ad hoc enim sufficit, quòd sit in potestate alienjus, qui est caput in natura, inquit S. D. in 2. dist. 30. q. 1. a. 2. ad 1.

## DISPUTATIO XXVII.

DE

### Transfusione peccati originalis.

CONCLUSI peccati originalis existentia, proximè discutenda sunt, quæ ad genus causæ quasi efficientis pertinent; ubi primò inquiritur, quomodo fiat istius culpe traductio in posteros; Secundò: quodnam sit illud Adæ peccatum, ex quo tanquam radice morali totius humanæ naturæ originalis infectio sequitur? ubi tam certum quidem est, peccatum originale generatione transfundi in posteros, quam certum est, illud dari, ita definiente Concil. Milevit. c. 2. *In parvulis regeneratione mundari, quod generatione contraxerunt.* Et Trid. Sess. 6. c. 3. *Nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum eâ propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant.* Nihilominus magna est utrinque sententiarum diversitas, ad quam dilucidandam sit

### ARTICULUS I.

#### Quomodo Adæ peccatum traducatur in posteros?

##### SUMMARI A.

1. Duplex modus infectionis in natura humana.
2. Refutatur error, quòd anima sit ex traduce.
3. Causa infectionis originalis non est conceptio cum ardore libidinis.
4. Sententia communis, quòd generatio sit conditio sine qua non.
5. Non satisfacit doctrina S. Thome.
6. Sententia quorundam Thomistarum, statuentium physicam propagationem peccati, impugnatur.
8. Illius fundamenta solvuntur.
9. Nostra & Thomistica sententia.
10. Probatur auctoritate D. Anselmi:
11. Et D. Thome.
12. Probatur ratione.
13. Quomodo verificetur comparatio inter virtutem seminis ad producendam naturam, & propagandum peccatum?
14. Quòd anima fiat una natura cum carne corrupta, est quid morale.
15. Quomodo verificetur illud axioma: Sicut affirmatio est causa affirmationis, sic &c.
16. Rejicitur positiva qualitas morbida in semine.
17. Semen per analogiam ad instrumenta physica dici potest instrumentum peccati originalis improprie.
18. Diversitas, cum qua peccatum originale fuit in Adamo, & est in posteris.
19. Quo sensu omnes in Adamo peccaverint, & Adam peccet in omnibus?
20. Peccatum Adami est causa moralis, non immoderata demeritoria peccati originalis in posteris.
21. Est demeritoria causa respectu penalium effectuum.

##### §. I.

Varii modi exponendi referuntur, & refelluntur.

NOTandum. Naturam humanam esse peccato Adæ infectam, duplici modo possit intelligi, primò quoad sufficientiam, debitum & potentiam. Secundò, actu in se, & quoad efficaciam. Primum contigit, quamprimum Adamo ceu caput, in quo totum genus humanum moraliter continebatur, peccavit: tunc enim indubitanter est necessitas ac debitum actu contrahendi peccatum originale omnibus individuis, quæ naturaliter viâ generationis ex Adamo nascerentur; aliorum verò tunc contingit, quando individuum naturæ humanæ per actum generationis ab Adamo propagatur, & anima corpori sic generato infunditur. Quæstione igitur non in priori sensu quoad sufficientiam, sed in posteriori quoad efficaciam & actualem peccati contractionem instituta

Censuerunt aliqui primò duce Tertulliano, ut habetur apud S. Augustinum, l. de heres. c. 4. de l. 10. de Genes. ad litt. c. 23, ideo à parvulis contrahi peccatum originale, eò quòd eorum anima



anima esset ex traduce, h. e. quod anima filii esset producta, vel ab anima patris, vel virtute feminis. Contra quem errorem pugnat in primis definitio Concilii Lateran. sess. 3. quod singulis hominibus anima à DEO infundatur. Secundò, quod anima tanquam spiritualis substantia sit incapax alterius productionis, quàm creationis ex nihilo. Tertiò, quod in hoc errore necdum salvetur propagatio peccati originalis, siquidem peccatum originale non est productivum alterius peccati, & ex Christianis parentibus, quibus per baptismum jam remissa fuisset culpa originalis, non posset nasci proles infecta illo peccato.

3. Secundò. Quorundam fuit opinio, ex eo capite à parvulis contrahi peccatum originale, quod concipiantur cum ardore libidinis, cujus fundamentum sumpserunt ex dictis D. Augustini l. 1. de nupt. c. 24. & alibi. Item Venerab. Bedæ in l. qq. q. 14. dicentium, prolem contrahere originale peccatum, quia gignitur cum libidine & concupiscentia.

Sed contrà est primò, quod aliqui sancti magis oratione, quàm voluptate concepti legantur. Secundò, quod in illa libidinosa voluptate nulla possit ostendi virtus vel physicè vel moraliter causativa peccati. Tertiò, quod eadem delectatio comitetur actum generationis, quem multo post tempore primùm consequitur infusio animæ rationalis. Sancti PP. adducti non loquuntur de ardore libidinis tanquam causa, sed tanquam signo peccati originalis, ex quo bene colligitur, prolem generatam contrahere peccatum originale.

4. Tertiò, communis apud RR. sententia dicit, peccatum ideo ab Adamo causari, & transfundi in posteros, quod eorum generatio fiat virtute feminis ab Adamo mediata decisi, quâ generatione posita, tanquam conditione sine qua non haberent necessitatem contrahendi originale peccatum, etiam Adæ peccatum moraliter recipiant.

Prior pars probatur autoritatibus Tridentini & S. Script. pro existentia peccati originalis supra adductis, è quibus habetur, quod homines nisi ex Adamo propagarentur, non nascerentur iniusti. Unde & D. August. l. 2. de Gen. ad litt. c. 20. & 21. dicit, Christum non fuisse decimarum in Abraham, quia non processit viâ seminali ab Adam. Et ratio est: In tantum ab Adamo transfunditur originale peccatum in posteros, in quantum Adam erat eorum caput in transfundenda iustitia originali: sed ad hoc fuisset necessaria eorum generatio virtute feminis ex Adamo mediata saltem decisi: ut habet S. D. q. 100 a. 1. ergo etiam ad hoc, ut peccatum Adæ causet in posteris originale peccatum, necesse est, ut eorum generatio fiat virtute feminis ex Adamo decisi.

Secunda pars probatur: quia quod applicat subiectum agenti, habet se, ut conditio sine qua non: sed generatio applicat hominem actuali peccato Adæ, tanquam in ipso moraliter causanti originale peccatum: ergo habet se velur conditio sine qua non.

## §. II.

## Sententia Salmanticensium.

Hæc expositio vera quidem est, sed non adæquate satisfactio doctrinæ Doctoris Angelici, R. P. Mez. g. Theol. Schol. Tom. II.

qui hic q. 83 a. 1. in c. in generatione hominis non solum conditionem sine qua non, sed etiam concursum instrumentalem ad transfundendum originale peccatum agnoscit. Sic enim inquit: Peccatum ergo originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam sicut in prima causa principali, secundum illud ad Rom. 5. In quo omnes peccaverunt. In semine autem corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali: eo quod per virtutem activam seminis traducitur in prolem simul cum natura humana. Et ad 2. Peccatum originale causatur ex semine, sicut ex causa instrumentali; non autem oportet, quod aliquid sit principalius in causa instrumentali, quàm in effectu, sed solum in causa principali, & hoc modo peccatum originale primo modo fuit in Adam, in quo fuit secundum rationem actualis peccati. Ex quo textu inferunt, &

Docent quartò Gonett & Salmantic. tract. 13. de pecc. disp. 14. dub. 3. n. 61. peccatum originale causari, & traduci physicè ab Adamo actualiter peccante principaliter, à semine verò per generationem instrumentaliter, in quam sententiam allegant D. Bonavent. in 1. dist. 3. a. 1. q. 1. Avarem aliosque

Ratio est primò. Causa, quæ executivè, mediante instrumento, ponit effectum, physicè concurret ad illum: sed Adamus executivè, mediante instrumento juxta allegata ex S. D. ponit in nobis originale peccatum: ergo physicè ad illud concurret.

Confirmatur exemplo ejusdem S. D. l. cit. in c. Hoc modo ex voluntate primi parentis peccatum originale traducitur in posteros per quandam generativam motionem, sicut a voluntate alicujus hominis derivatur peccatum actuale ad alias partes ejus &c. Sublinitur: atqui causalitas voluntatis in derivando peccatum ad alias partes hominis, ut ad appetitum sensitivum &c. non est moralis, sed physica ex vi proprii & realis influxus: ergo similiter causalitas Adami in traducendo ad posteros originale peccatum debet esse physica.

Secundò. Originale peccatum est effectus ex Adami peccato, vel physicè vel moraliter causatus. Non moraliter, quia causa moralis mediante aliena voluntate causat effectum: atqui peccatum Adami nullâ aliâ voluntate, sed solum mediante instrum. entò producit effectum: ergo peccatum Adami non moraliter sed physicè ponit peccatum originale in posteris.

Tertiò. Eo modo transgressio Adami causat in nobis peccatum originale, quo causavit habituale peccatum in ipso Adamo: sed in ipso causavit physicè: ergo & in nobis. Major constat: quia etiam in nobis peccatum originale est terminativè voluntarium ex transgressione Adami, sicut peccatum habituale resultans in ipso Adamo; & ut dicitur; peccatum originale in nobis non est aliud, quàm peccatum primum habituale Adami. Minor quoque probatur: Causa physicè causans actum impossibilem cum aliqua forma, etiam physicè causat privationem illius formæ, sicut ignis physicè causans calorem in aqua, physicè causat privationem frigoris oppositi: sed voluntas Adami physicè causabat actum

K k a

incom-



incompossibile cum iustitia originali: ergo physicè causabat eius privationem, quæ in Adamo erat peccatum habituale, in nobis est originale, modo inferius exponendò.

7. Verùm hæc sententia, nisi physicæ causalitatis nomine velit abuti, & facere quæstionem de nomine, sustineri difficile potest. Contra enim est primò, quòd peccatum sive actuale sive habituale est extra totam lineam entitatis, & causalitatis physicæ, habetque non principium effectivum, sed defectivum, cum aliàs necessariò requireret influxum & concursum causæ primæ, qui implicat: unde nec in Adamo datur virtus physica principalis, nec in femine instrumentalis ad productionem peccati, & sicut peccatum actuale quoad rationem formalem tantùm admittit causam defectivam moralem, sic multò magis peccatum habituale, quod est moralis sequela illius. Idque maximè locum habet in peccato originali: neque enim Adamus actualiter peccando aliter potest esse causa, quòd posterius incurant originale peccatum, nisi quia ipse erat caput humanæ naturæ continens omnium nostrum voluntates: atqui illa continentia erat merè extrinseca, & moralis, non physica alicuius intrinsecæ virtutis: ergo etiam non nisi moraliter potuit causare peccatum originale in posteris.

Secundò. Ut ab Adæ peccato physicè propagaretur originale peccatum, deberet illud in se, vel in aliqua physica virtute existere: atqui peccatum Adæ non est in seipso, ut patet; non in aliqua virtute physica, neque enim in femine est aliqua virtus physica, quàm ad productionem naturæ; ut taceam, quòd implicet virtus physica productiva peccati formaliter: ergo peccatum originale physicè non propagatur ex Adæ peccato.

Tertiò. Si peccatum Adæ esset causa physica transfusionis culpæ originalis, tunc istud haberet vel ex sua natura, vel ex elevatione Divina, vel vi pacti, quo Adam constitutus est caput totius naturæ humanæ: sed ex nullo horum. Non ex sua natura, ut per se patet; cum aliàs non esset maior ratio de uno peccato, quàm de altero. Non ex elevatione Divina, aliàs DEUS esset specialis causa peccati originalis, quòd implicat. Non vi pacti, quia per illud voluntas Adami non physicè fuit immutata, sed moraliter.

8. Neque urgent in contrarium adductæ rationes. Nam ad 1. distinguo majorem: Causa, quæ mediante instrumento physico ponit effectum, causat illum physicè, concedo; instrumento tantùm morali, nego majorem; sed Adamus mediante semine tanquam instrumento morali, causat peccatum originale, concedo; physico, nego minorem, & consequentiam.

Ad confirmationem, nego subsumptum, & retorqueo: causalitas voluntatis in derivando peccatum ad alias partes, quoad formale, non est physica, & effectiva, sed moralis & defectiva: ergo similiter causalitas Adæ peccantis in derivando peccatum originale in posteris. Quoad formale, inquam, nam si sermo sit de materiali, argumentum vagatur extra scopum.

Ad 2. patet ex dictis: Peccatum originale esse effectum moralem. Ad cuius impugnationem,

nego majorem, quæ tantùm valet in causa motili, positiva & meritoria, vel demeritoria, non alia quacunque defectiva & privativa; unde de respectu puræ omissionis voluntas, nulli aliæ voluntate mediante, est causa moralis, non physica.

Ad 3. nego minorem, & retorqueo, peccatum habituale formaliter, tanquam sequela actualis peccati formaliter non habet physicam sui causam, sed moralem: ergo multò magis peccatum originale.

## §. III.

## Nostra sententia.

Notandum, Angelici Doctoris probabilem doctrinam esse, quòd cum Adamo data fuisset iustitia originalis non tantùm perse, sed etiam pro posteris sub conditione, si in innocentia & observantia legis Divinæ perseveraret, ipsius semini virtutem quoque supernaturalem fuisset inditam, ita ut per ipsam naturalem generationem unà cum natura etiam iustitiam originalem propagare posset: idcirco semen ipsius per supernaturalem virtutem inditam fuisse elevatum, ut non tantùm esset instrumentum naturale in ordine ad communicandam & propagandam naturam, sed etiam supernaturale instrumentum in ordine ad communicandam & propagandam iustitiam originalem: quam virtutem supernaturalem Adamus peccando amisit. Ita indicat S. D. q. 4. de malo a. 1. ad 9. dicens. *Ex peccato primi parentis defuitura est caro ejus illa virtute, ut ex ea possit decedi semen, per quod originalis iustitia in alios propagaretur. Quo posito sit*

CONCLUSIO. Traductio peccati originalis fit per hoc, quòd anima connaturaliter unitur corpori ex corrupto semine descendenti: cuius corruptio formaliter consistit in privatione illius vigoris, quem habuisset ad propagandam iustitiam originalem, si Adam non peccasset. Videtur esse doctrina D. Anselmi illa verba Plal. 70. *In iniquitatibus conceptus sum &c* sic explanantis: *Hoc modo de immundo semine, & in iniquitatibus, & peccati concipi potest homo in utero, non quòd in semine immunditia sit peccati, aut peccatum, sive iniquitas, sed quia ab ipso semine, & ipsa conceptione accipit homo necessitatem, ut, cum habuerit animam rationalem, habeat peccati immunditiam.*

Ubi nota necessitatem contrahendi immunditiam peccati à S. D. tribui semini tanquam causæ per Tò ab ipso, non utique ut causæ principalis, ergo ut instrumentalis; non ut physica, prout priori §. probavi, ergo ut morali. Sed quomodo ut morali? nisi quia carentia vigoris in semine connotat peccatum Adami tanquam causam moralem, ex quo illa carentia non est tantùm negativa, quæ ipsi physicè etiam in statu puræ naturæ competeret; sed in super privativa, quòd tantùm habet in statu naturæ lapsæ.

Prima pars conclusionis habetur ab Angelico Doctore hic a. 1. a. 2. *Ex hoc fit iste, qui nascitur, confors culpæ primi parentis, quòd naturam ab eo sortitur, per quamdam generativam motionem, q. 3. de pot. a. 9. ad 3. Humana natura traditur à parente in filium per iraductionem carnis, cui postmodum anima infunditur, & ex hoc infestitatem incurrit, quòd sit cum carne iraducta sua natura, &c.*



Secundam quoque partem habet primùm cit. q. 4. de malo. Hæc subjungens: *Et sic in semine defectus corruptionis moralis, & quadam intentio ejus: sicut dicimus, intentionem coloris esse in aere, & intentionem animæ esse in semine. Et ex hoc etiam est ibi virtus ad similem imperfectionem, sicut est ibi virtus ad productionem humanæ naturæ in prole generata.*

12. Ratio totius conclusionis est. Ut anima peccatum originale contrahat vi naturalis generationis, prout distinctè S. D. affirmat, non aliter potest verificari, quàm quia limitatur ad corpus, & fit forma corporis generati ex infecto semine, ideoque destituti vigore justitiæ originalis: sed corpus ideo est generatum ex infecto semine, quia per peccatum Adami semen destituitur illâ virtute instrumentali unâ cum natura propagandi innocentiam & justitiâ originalem, quam habuisset, si Adam non peccasset: ergo propter istum privativum defectum feminis traducitur, & transfunditur in posteros peccatum originale. Major inde probatur: quia anima non potest infici à corpore generato, quasi ipsum corpus in animam agendo suam infectionem communicaret: ergo tantum per hoc, quod forma corporis, scilicet anima ad corpus infectum limitetur. Uti docet S. D. in 2. dist. 30. q. 1. a. 2. ad 5. his verbis: *Cum anima non possit infici nisi per infectionem corporis, non quasi corpore agente in animam, sed per quamdam colimitationem unius ad alterum, quia forma recipitur in materia secundum conditionem ipsius materiæ, cum omne, quod est in altero, sit in altero per modum recipiendi: & ideo ex hoc ipso, quod corpus illa virtute privatur, quâ perfectè erat subijcibile animæ, sequitur etiam, quod anima illa virtute careat, quâ perfectè corpus subditum regat. Et talis defectus originalis justitiæ est culpa naturæ, prout consideratur consequens ex voluntate alicujus habentis naturam, ex quâ natura traducta est.* Hæc S. D.

13. Dices. Ex hoc evincitur, vi generationis etiam physicè propagari peccatum originale: nam S. D. cit. ex q. 4. de malo facit comparationem inter virtutem feminis ad imperfectionem post peccatum Adæ, & inter virtutem ad productionem humanæ naturæ: sed ista est physica: ergo & illa.

Respondeo 1. Illo ipso loco hanc virtutem vocari ab Angelico Doctore *defectum corruptionis moralis*: ergo non est aliquid physicum, sed morale.

Respondeo 2. In hoc esse comparationem & similitudinem, quod uti necessariò natura sequitur ad virtutem feminis, sic etiam inquinatio naturæ per peccatum originale necessariò sequitur ad corruptionem feminis: in cæteris verò esse latam disparitatem: nam natura sequitur productivè, physicè, positivè ex physica & positiva virtute instrumentali feminis, peccatum verò sequitur privativè per solam resultantiam moralem, ex defectu morali & privativo feminis, qui non nisi æquivocè virtus dicitur.

14. Instas. *Ex hoc anima traductivè infectionem incurrit, quia fit cum carne traducta una natura, & ad eandem limitatur: sed fit una natura cum*

carne, & ad eandem limitatur physicè: ergo traductiva infectio animæ fit physicè.

Respondeo distinguendo majorem, quia fit cum carne traducta ex semine moraliter corrupto una natura, concedo; cum carne traducta ut sic, nego. Sed physicè fit una natura cum carne traducta ut sic, concedo; ut traductio dicit defectum corruptionis moralis in semine, nego minorem & consequentiam.

Adhuc inquis cum Gonett. Sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis: sed vigor, quem Adamus inditum habebat in semine, fuerat physicè productivus justitiæ originalis in posteris: ergo ejus privatio in semine etiam physicè concurrat ad privationem justitiæ originalis in posteris.

Respondeo, præcendendo ab illa quæstione, 15. an ille vigor in semine fuerit physicè productivus justitiæ originalis, quod negat Contentsonus non ignobilis Thomista, hoc ipsum argumentum solvendum esse ipsi Gonetto in materia de auxiliis, ubi hoc ipso argumentò Adversarii conantur evertere intrinsecam efficaciam gratiæ, sic enim inquit: DEUS per gratiam efficacem est causa actus boni: ergo per ejus subtractionem erit causa, quod actus bonus non eliciatur, vel actus malus eliciatur, cum sicut affirmatio &c. Quod igitur ipse illo loco, hoc ipsi reponimus in præsentia. Et quidem primo. Sicut affirmatio &c. sic negatio est causa negationis, ut est negatio, concedo; ut est privatio, nego: ergo privatio vigoris in semine physicè concurrat ad privationem justitiæ originalis, ut est negatio, concedo, hoc ipso quippe, quod nulla adhuc causa physica producat justitiâ, etiam physicè abest ipsa justitiâ; [quod ipsum tamen potius est non concurrere physicè ad ponendam justitiâ, quàm physicè concurrere ad ponendum defectum justitiæ] ut est privatio, sic nego; sic enim est absentia purè moralis connotans debitum morale inessendi, unâ cum causa morali, voluntate scilicet capitis, & capitali peccato Adami.

Secundò. Sic negatio est causa negationis, si terminus sit capax ejusmodi causalitatis, concedo; si non sit, nego. Justitiâ quidem originalis est capax productionis physica, cum sit forma physica: atqui privatio illius justitiæ non est capax, cum sit absentia purè moralis, prout est privatio.

## § IV.

## Corollaria.

INferes primò, fictitiam esse non solum omnem 16. morbida[m] qualitatem, sed etiam quamcunque positivam virtutem seu qualitatem instrumentalem fluentem semini superadditam, vi cujus sit traductivum peccati originalis: nam ejusmodi virtus aut qualitas, vel esset naturalis, vel esset supernaturalis. Non naturalis, quia nulla qualitas corporea naturalis in spiritualem animæ substantiam agere potest. Multo minus supernaturalis, quia implicat, à DEO tanquam principali & speciali agente produci virtutem per se causativam peccati. Adde, quod, cum peccatum originale juxta proximè dicenda formaliter consistat



confistat in privativo, non requirit majorem virtutem sui communicativam, quam privativam, qualis ex S. D. est carentia illius vigoris productivi justitiæ originalis.

17. Inferes secundò. Per analogiam ad instrumenta creata dici posse, quòd semen sit instrumentum peccati originalis: juxta S. D. q. 83. a. 1. in c. quia sicuti propter vigorem propagativum justitiæ originalis in statu innocentiae semen fuisse instrumentum positivum ipse: sic, quia propter defectum privativum hujus vigoris, homo concipitur peccato originali inquinatus, & originali justitiâ destitutus, rectè dici potest instrumentum privativum peccati originalis.
18. Inferes tertio. Peccatum originale aliter fuisse in Adamo, aliter in nobis: nam in illo fuit personale, & capitale simul; personale, quatenus propriâ voluntate commissum; capitale, quatenus commissum voluntate capitis, adeoque moraliter voluntate omnium posterorum: quo modo etiam ab aliis vocatur peccatum originis. Prout verò in nobis intrinsicè reperitur, sic propriè originale dicitur; capitale etiam non activè, tanquam in alios derivabile, sed passivè, tanquam à capite in membra derivatum.
19. Inferes quartò: Quo sensu dicat Apostolus, omnes in Adam peccasse? Non enim significatur omnes homines formaliter in Adamo peccasse; sed Adamo peccante tanquam capite totius generis humani, omnibus membris ejusdem generis humani impositam fuisse necessitatem & debitum in primo instanti suæ originis & conceptionis actu contrahendi eandem labem & maculam, quam Adamus in sua persona contraxerat. Sed etiam rectè dicitur Adam in nobis peccare, quando in originali peccato concipimur? Respondeo affirmativè. Hoc enim loquendi modo utitur S. Ecclesia in approbato officio de Immaculata Conceptione dicens: *Te pulchram ornavit sibi sponfam, in qua Adam non peccavit: adeoque supponit, in aliis hominibus non exemptis Adamum peccare.* Cujus tamen di-

stionis alius sensus esse non potest, quàm quòd primum Adæ peccatum tanquam causa moralis per seminale propagationem actu applicetur ad producendum effectum moralem culpe originalis in posteris primùm conceptis.

Si dicas. Peccatum Adæ jam fuisse remissum, & extinctum: non ergo amplius habere mortalem influxum. Respondeo fuisse remissum & extinctum, ut erat personale, non ut erat capitale; sic enim virtualiter remansit in privatione vigoris, qui prius erat in carne, & semine Adami.

Inferes quintò: Etsi personale peccatum Adæ, ceu capitis sit causa moralis respectu peccati originalis in posteris contracti, non tamen esse causam demeritoriam ipsius: quia demeritum correlativè non respicit culpam, sed poenam; atqui peccatum originale est vera culpa secundum prius dicta, non poena peccati: ergo à peccato Adami non respicitur, vel causatur demeritò. Secundò causalitas demeritoria ponit effectum mediante aliqua voluntate, e. g. poena causatur à peccato demeritorie, quia peccans præbet DEO fundamentum justæ indignationis & punitionis: sed culpa originalis causatur in parvulo nulli mediante alienâ voluntate: ergo non demeritorie, quomodo ergo peccatum originale causatur moraliter?

Respondeo, in quantum in ipso conceptionis instanti, quo anima corpori à Adamo per seminale propagationem generato infunditur, simul moraliter refultat, seu inest animæ macula peccati, ipsi debita propter Adami peccatum, quod erat peccatum capitis, & totius naturæ.

Fuit tamen Adami peccatum causa demeritoria directâ respectu poenali effectum, qui naturam lapsam comitantur, fuit etiam indirectâ causa demeritoria plurium peccatorum, in quantum propter originale peccatum subtrahitur abundantia auxiliorum, & gratiarum, quibus hominis voluntas firmaretur in bono, & retraheretur à malo, ex quo per accidens contingit frequentior lapsus in peccata.

## ARTICULUS II.

### Quodnam Adæ peccatum sit causa transfusionis in posteros:

#### SUMMARI A.

1. Plures malitia concurrentes ad peccatum Adami.
2. Peccatum inobedientia traducitur in posteros.
3. Quodlibet primum peccatum fuisse transfundendum.
4. Ostenditur ex D. Th. & ratione.
5. Fundamenta sententia negantis.
6. Exponitur mens SS. Patrum.
7. Comminatio mortis implicite fuit conjuncta etiam transgressioni præceptorum naturalium.
8. Cur comminatio mortis explicite adjuncta comminatio?
9. Peccatum superbie fuit prius naturâ, quam peccatum inobedientia.
10. Alia peccata Adami non transeunt in posteros.
11. Eva sola peccando non nocuisset generi humano.
12. Siqui liberi ab Adamo ante lapsum fuisse geniti, non traxissent originale peccatum.
13. Etiam internum peccatum inobedientia fuisse traductum.
14. Peccata proximorum parentum non transfunduntur.
15. Qui miraculose formaretur ex carne humana, non contraheret originale peccatum.

#### §. I.

##### Statuitur Sententia Thomistica.

Suppono primo. In lapsu Adami plures malitias ac deformitates intervenisse, ut habet D. q. 82. a. 2. ad 1. puta superbia, gula, inobedientia, quarum tamen præcipua & actu summata fuit malitia inobedientia; ut è Scripturis Conciliis constat. Unde



2. Suppono secundò, Hoc primum Adæ peccatum, quod erat inobediencia contra præceptum positivum DEI, non comedendi de ligno scientiæ boni & mali, esse illud peccatum, quod in posteris traducitur. Ita enim constat ex Apostolo antè citato Rom. 5. *Per unius hominis inobedientiam, &c.* Et ex Trid. Sess. 5. de pecc. orig. ubi decernitur, *peccatum, quo Adam posteritati noxavit, fuisse prævaricationem, & transgressionem Divini mandati, pro qua DEUS mortem comminatus fuerat, inobediencia peccatum, &c.*

Quæstio igitur est, an hoc peccatum inobediencia fuerit originale, & traducendum in posteris, quatenus erat inobediencia contra præceptum positivum, habens adjunctam comminationem mortis, vel quatenus erat primum peccatum ipsius, ita, ut si alio quocunque peccato sive interno sive externo justitiam amisisset, illud æquè fuisset in posteris transmittendum? Negativam tenent Alenis, Catharinus, Suarez, Amicus, & plures RR. Affirmativa est conformior S. Doctori, quam tenent Gonet, Godoyus, Salmanticenses, & communis Thomistarum. Unde fit

3. CONCLUSIO. *Inobediencia Adami fuit peccatum originis non præcisè quia fuit peccatum inobediencia, sed quia primum, ita, ut si aliud prius peccatum commisisset, etiam per illud totam humanam naturam vitiaisset.*

Probatur clarâ autoritate S. D. in 2. dist. 21. q. 2. a. 2. ad 2. dicentis: *Hoc idem, [nempe corruptionem naturæ] etiam sequentia peccata fecissent, si talem naturam [hoc est integram] invenissent.* Item dist. 33. in fi. in expos. lit. inquit: *Quodcunque peccatum mortale in statu innocentie commissum fuisse, idem esset secutum, propter hoc, quòd tota natura humana erat in primis parentibus, & per primum peccatum mortale corruptio gratiæ facta fuit.*

4. Probatur secundò ratione in adductis textibus indicatâ. Ideo peccatum inobediencia de facto traducitur in posteris, quia per illud facta est corruptio gratiæ, & ablatio justitiæ originalis; sed hoc fuisset factum per quodlibet peccatum, quantumvis internum, & solâ mente commissum; ergo.

Probatur tertio. Si Adamus posteris per alterius peccati commissionem non amisisset justitiam originalem, tunc potuisset illam propagare in posteris; consequens est falsum; ergo. Minor probatur: tum quia non poterat propagare, quod ipse non habuit: tum quia hæc propagatio juxta S. Doctoris doctrinam debuisset fieri per vigorem instrumentalem existentem in semine; sed hunc non habuisset, siquidem dependebat à gratiâ & justitiâ originali, quam peccando amisit.

## §. II.

## Solvuntur Objectiones.

5. **O**bjicies. Illa, quæ dependent à sola voluntate DEI, non nisi per S. Script. Concilia, & Patrum testimonia nobis innotescunt, quemad-

modum Thomistæ in Tract. de Incar. argumentantur: sed S. Script. Concilia, & Patres non loquuntur de amissione justitiæ originalis, & transfusione malitiæ propter quodcunque peccatum, sed propter peccatum inobediencia in comestione fructûs prohibiti: ergo non propter aliud quodcunque peccatum fuisset in posteris transfundenda malitiæ peccati, & perdenda justitiæ originalis. Minor probatur, quia decretum Divinum de amissione justitiæ originalis pro se, suisque posteris Adamo indicatum solùm continetur in illa comminatione, *Quæcumque die comederis, morte morieris*; quæ comminatio, ut patet, soli comestioni de ligno vitæ fuit conjuncta. Neque Concilia & PP. aliam causam peccati originalis, quàm inobedienciam Adami allegant.

Confirmatur 1. Illud solum peccatum fuit causa transfusionis culpæ originalis in posteris, quod fuit causa, ut morte corporali morentur: sed hoc fuit solum peccatum comestionis, quia nulli alteri peccato fuit adjuncta comminatio, & pœna mortis.

Confirmatur 2. Leges odiosæ sunt restringendæ: sed lex de amissione justitiæ, & transfusione peccati in totam posteritatem est odiosa: ergo est restringenda ad solum peccatum, de quo DÈUS in S. Script. mentionem facit, non ad alia extendenda.

Confirmatur 3. Illud solum peccatum Adami potuit transfundi in posteris, quod fuit peccatum capitis, non quod fuit peccatum personæ: sed sola comestio fructûs prohibiti fuit peccatum capitis: ergo. Minor probatur: Adamus non habebat ex sua natura, ut esset caput morale totius generis humani, sed solùm ex pacto, seu decreto Divino; sed hoc ut antè dictum, tantùm erat de non comedendo de ligno scientiæ boni & mali: ergo solùm circa observantiam, vel transgressionem hujus præcepti Adamus habebat rationem capitis: alia verò quæcumque peccata tantùm fuissent peccata personæ.

Confirmatur 4. Si primum Adæ peccatum fuisset transfundendum in posteris, tunc non tam peccatum inobediencia, quàm superbiæ & gulæ transiret in posteris: sed hoc est contra S. Script. Concilia, & PP: ergo. Sequela probatur. Prius peccavit Adamus inordinato appetitu scientiæ, & similitudinis cum DEO, quam Serpens promiserat, nec non inordinato appetitu fructûs, quem viderat pulchrum & delectabilem ad vescendum, quàm comederit de illo fructu: ergo: si primum peccatum fuit peccatum originis, illud potius fuit peccatum superbiæ, & gulæ, quàm inobediencia.

Respondeo, distinguendo minorem. Script. & Conc. & PP. loquuntur de transfusione peccati propter inobedienciam, tanquam causam unicam de facto positam, & primum peccatum Adami, concedo; tanquam causam unicam possibilem hujus transfusionis secundum præsentem rerum ordinem, & in casu, quo aliud peccatum fuisset primum, sic nego: ergo solum peccatum Adami poterat esse causa transfusionis de facto, ex suppositione, quòd fuisset primum, concedo; de possibili, & ex suppositione, quòd aliud ipsius peccatum esset primum, nego consequentiam.

Ad



7. Ad probationem etiam distingo minorem. Comminatio mortis incurrendæ fuit conjuncta soli comestioni de ligno vetito explicitè, concedo; & implicitè, nego. Fuit enim ipsi conjuncta, quatenus erat transgressiva mandati. Unde à fortiori etiam non quidem explicitè, sed tamen implicitè fuit conjuncta transgressioni mandatorum naturalium & Divinorum, quæ fortius ligabant. Ita habet S. D. in 2. dist. 33. in expositione textus. *In hoc ostenditur, quòd, etiam si alia peccata commisisset, similem pœnam sustinisset, quasi à minori ad majus: gravior est enim præceptum præterire legis naturalis, quo prohibetur id, quod in se est malum, quàm præterire præceptum disciplina, quo prohibetur, quod non est malum, nisi quia prohibitum.* Ex quo patet responsio ad primam confirmationem: quia etiam aliis peccatis fuit adjuncta comminatio mortis implicitè.
8. Ad 2. confirmationem, distingo majorem. Lex odiosa est restringenda ab illis, ad quæ intentio legislatoris & ratio legis non se extendit, concedo; ad quæ se extendit, nego. Si petas: cur ergo specialiter & explicitè comminatio mortis fuerit adjuncta comestioni? Respondeo: quia, cum illa de se non esset mala, per adjunctam pœnam debuit innotescere, quòd esset mala, & destructiva justitiæ originalis.
- Similiter ad 3. confirmationem nego minorem, & probationem distingo. Decretum Divinum tantum erat de non comedendo explicitè, concedo; & implicitè, nego minorem & consequentiam.
9. Ad 4. confirmationem nego sequelam, ejusque probationem distingo. Adam peccavit peccato superbiæ prius naturâ, concedo; prius tempore, nego. Nam ipsum peccatum inobedienciæ initium sumpsit ab inordinato appetitu excellendi, juxta illud Job. 4. *In ipsâ initium sumpsit omnis perditio*, ideoque internum peccatum superbiæ tanquam motivum in genere causæ finalis præcessit, tota tamen peccati malitia consummata fuit in actu externo inobedienciæ comedendo fructum prohibitum. Unde adhuc primum completum Adami peccatum, quamvis ex variis malitiis partialibus conflatum, fuit peccatum inobedienciæ.

## §. III.

## Corollaria.

10. Inferes ex dictis primò: Alia peccata Adami, quæ post primum lapsum fortè commisit, aut commisisset, non transe in posteros: siquidem non sunt amplius peccata capitis, sed personæ.
11. Inferes secundò. Evæ peccatum, quantumvis præcesserit peccatum Adami, non tamen nocuisse, aut fuisse nociturum generi humano per transfusionem sui, si Adam non peccasset; siquidem non Eva, sed Adamus fuit constitutus caput generis humani: unde ipse peccatum non erat peccatum capitis.
- Nec officit, quod Ecclesiastici 25. dicitur: *A muliere initium factum est peccati*; hoc enim intelligendum de initio occasionis & suasionis, non

de principio transfusionis, docet D. Th. 1. Cor. 15. l. 3. & in 4. dist. 1. q. 2. a. 2. quæstioncula 2. ad 1.

Inferes tertio. Siqui liberi ex Adamo ante ipsius lapsum fuissent concepti, vel geniti, illos fuisse accepturos justitiam originalem, neque ex Adami lapsu inficiendos: quia fuissent geniti ex femine habente vigorem productivum justitiæ originalis: & Adamus respectu illorum tantummodo hominum habuit rationem moralem capitis, qui adhuc in ipsius lumbis continebantur, & viâ naturalis generationis ex ipso propagari poterant.

Inferes quartò. Etiam si peccatum inobedienciæ in sola interna voluntate Adami permansisset, & non processisset ad opus externum, eodem modo fuisse propagandum in posteros, sicuti modò est propagatum, cum Adamus comedendo de fructu prohibito inobedienciam opere externo complevit: quia opus externum habet suam malitiam ab actu interno, per quem secundum primum dicta Adamus suam innocentiam perdidisset.

Inferes quintò. Peccata proximorum parentum non transfundi in posteros, unde si Adam in justitia perseverasset, peccante Caino ipsius filii non contraxissent originale peccatum, prout colligitur ex Apost. ad Rom. 5. *Unius [solutus Adæ tanquam capitis] de isto multi mortui sunt, & per inobedienciam unius peccatores constituti sunt multi.* Unde D. Anselmus lib. de Concept. Virg. c. 23. *Quoniam nullus post Adamum partu filii suis justitiam servare, nullam video rationem, cur proximorum parentum peccata filiorum debeant animabus imputari.*

Sed opponitur difficilis textus ex D. Th. q. 5. de malo a. 4. ad 3. *Si aliquis ex posteris Adam peccasset, eo non peccante, moreretur quidem propter suum peccatum actuale, sicut Adam mortuus fuit: sed posteris ejus moreretur propter peccatum originale.*

Respondent aliqui, hanc sententiam hic a. 4. fuisse retractatam. Gonet existimat, opinionem D. Thomæ fuisse, quòd DEUS, si noluisse Adami peccatum permittere, alium ex posteris Adami constituisset pro capite morali suorum descendendum, sicque posteris propter originale peccatum fuissent mortui, de quo tamen nihil certi.

Inferes sextò. Si quis hominum ex humana carne miraculosè formaretur, ad instar Evæ, ita ut per seminalem propagationem non descenderet ex Adamo, non contracturum labem originariam: tunc enim, inquit S. D. hica. 4. ad 3. *Esse in Adam secundum corpulentiam substantiam non secundum seminalem rationem: quod etiam extendi debet ad eum, qui nasceretur miraculosè solo semine, aut sanguine mulieris: tum quòd illud in plurium sententia tantum passivè, tum quòd saltem minus principaliter concurrat ad generationem prolis. Secus dicendum de prole, quæ ex solius viri semine ad matricem mulieris, vel Divinâ virtute, vel demum operâ dilatò conciperetur, tunc enim verè ortum traheret ex Adamo.*

DISPL



## DISPUTATIO XXVIII.

DE

## Essentia peccati originalis.

**N**on minus essentia, quam existentia peccati originalis est circumsepta difficultatibus: nam existentiam fidei & definitionem limites non adeo permittunt obnoxiam vagæ rationis licentiæ; metaphysica verò essentiæ constitutio, cum parum ad fidem & mores conferat, libertati ingeniorum relinquatur. Igitur examinata prius sententiarum varietate nostram demum mentem explicabimus.

## ARTICULUS I.

## Referuntur &amp; refelluntur diversæ sententiæ de essentia peccati originalis.

## SUMMARIUM.

1. Hereses constituentes originale in aliquo substantiali.
2. Heresi constitvens in concupiscentia.
3. Sententia Ambrosii Catherini, ejusque fundamenta.
4. Refutatur.
5. Fundamenta solvuntur.
6. Refertur sententia Durandi constitvens originale in reatu ad penam.
7. Impugnatur.
8. Auctoritates obiecte exponuntur.
9. Refertur & exponitur sententia de morali existentia primi peccati.
10. Impugnatur.
11. Refertur sententia Thomistarum quorundam constitvens peccatum originale in aliquo habituali positivo.
12. Impugnatur vario positivo.
13. Impugnatur moralis transgressio.
14. Ulteriores impugnationes.
15. Exponuntur testimonia adducta à S. Doctore.

## §. I.

## Rejiciuntur errores.

**P**rimò Matthias Illyricus Centuriatorum Princeps in libello de pecc. orig. dicebat, peccatum originale esse ipsammet animæ substantiam, eò quòd Rom. 7. Ephel. 4. Coloss. 3. istud, imò & alia peccata exprimentur vocibus substantiam significantibus: *Vetus homo, corpus peccati* &c. Cujus delirii absurditas coincidens cum antiquissima heresi Manichæorum, damnata pridem fuit à Conciliis & Patribus unanimi consensu concludentibus, peccatum non esse substantiam, nullam substantiam esse malam, nullam esse naturam, omnem substantiam esse à DEO, peccatum verò non esse à DEO. Item à Trid. Sess. 5. de pecc. orig. can. 5. desinente: *Per Sacramentum baptismi tolli ab homine totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet.*

Constat etiam ex hac ratione: quòd dæmon non possit esse Author alicujus substantiæ; est verò Author peccati originalis: *Nam invidiæ diaboli peccatum intravit in mundum*: ergo peccatum originale non potest esse substantia. Porro Apostolus dicens: *Vetus homo*, non significat solum peccatum formaliter, sed subjectum peccatis inquinatum, quemadmodum & novus homo significat subjectum, gratiâ sanctificante præditum. Corpus quoque peccati per metaphoram & allegoriam vocatur multitudo peccatorum: quia sicut ex variis membris confurgit totum corpus, ita ex variis peccatis integra multitudo peccatorum coalescit.

catum originale non potest esse substantia. Porro Apostolus dicens: *Vetus homo*, non significat solum peccatum formaliter, sed subjectum peccatis inquinatum, quemadmodum & novus homo significat subjectum, gratiâ sanctificante præditum. Corpus quoque peccati per metaphoram & allegoriam vocatur multitudo peccatorum: quia sicut ex variis membris confurgit totum corpus, ita ex variis peccatis integra multitudo peccatorum coalescit.

A priori errore parum abluat explodenda Keenitii insania, asserentis, originale peccatum esse aliquid substantiale corporeum, v. g. cor, hepato, aut totum corpus: hæc enim manent refutata ex dictis: ipsum quoque originale est infectio & mors ipsius animæ, quod de aulla re corporea dici potest.

Tertiò communissimus error est Lutheranorum & Calvinistarum, qui dicunt, peccatum originale esse ipsum fomitem concupiscentiæ, & inclinationem ad malum. Qui error manet confutatus ex præallegata definitione Tridentini, quæ hanc præcipuè hæresin tangit, quòd per baptismum tollatur in renatis, quicquid habet veram & propriè dictam rationem peccati, juxta illud Apostoli. Rom. 8. : *Nihil damnationis est iis, qui sunt renati in Christo JESU*: atqui concupiscentia relinquatur post baptismum attestante eodem Apostolo Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Nec obest, quòd Apostolus hanc concupiscentiam alicubi appellet peccatum, nam dicitur peccatum metonymicè, non quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinât, ut loquitur Tridentin. cit. Can. 5. Manet eadem hæresis refutata ex dictis in priori Tract. ubi ostendimus, motus concupiscentiæ secundum se non esse peccata.

Ex iisdem fundamentis rejicitur opinio, quæ tribuitur Gregorio Arimin. l. 2. sent. dist. 31. q. 1. constituentis peccatum originale in morbida qualitate animæ superaddita, quam Serpens suo sibilo Adamo afflaverit: nam primò, si per hanc qualitatem intelligis concupiscentiam, incidis in errorem prioris sententiæ: si distinguis: vel illa quali-



qualitas est spiritualis, vel corporea. Non corporea, quia hæc non potest afficere animam; non spiritualis, quia hujus non est assignabilis causa, cum sibilus Serpentis non potuerit producere; in super ejusmodi qualitas non ablueretur per baptismum, nec subtraheretur Divina causalitati, quorum utrumque repugnat peccato originali.

## §. II.

*Expenditur opinio Catherini.*

3. **A**mbrosii Catherini, Pighii, & Salmeronis doctrina est, peccatum originale formaliter consistere in præterito actuali peccato Adami parvulos extrinsecè denominante: quæ sententia docet primò peccatum originale nihil esse aliud, quam primam Adæ inobedientiam. Secundò, hoc originale peccatum esse unum idemque in omnibus, in Adamo quidem re ipsa, in cæteris verò imputativè. Tertio, nihil esse inhærens in parvulis, quod habet rationem peccati. Quarto, privationem justitiæ, reatum, & similia pœnam esse peccati originalis, non culpam.

Fundamentum hujus sententiæ est primò: Illud est originale peccatum, per quod mors intravit in mundum: sed per peccatum Adami personale mors tam animæ, quam corporis intravit in mundum: ergo ipsum est peccatum originale. Secundò: Illud est peccatum originale, quo in primo instanti conceptionis peccatores constituimur: sed per inobedientiam Adami sic constituimur peccatores, dicente Apostolo: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.*

Tertio: Illud est nostrum originale, quod Adam in nos transmisit: sed transmisit suum personale, vel actuale peccatum, non enim aliud transmisit, quam quod habuit; sed habuit actuale peccatum: ergo.

Quarto: Illud est nostrum originale, quo Adam nobis nocuit; sed per suam actualem inobedientiam nobis nocuit: ergo.

Huc applicant textus SS. PP. cum dicunt: *Quoniam non jejunavimus, exulamur a paradiso.* Basilii hom. 1. de jejun. *In casu primi hominis cecidimus omnes.* Bernard. serm. in Cœna Dom.

4. Contra hanc sententiam est primò: quia Concil. Araus. can. 2. nec non Trid. loco citato, dicunt peccatum transfundi in posteros, & eodem modo loquuntur de peccato, ac de morte: sed peccatum transfundi non est pura denominatio extrinseca, uti neque mortem transfere in genus humanum: ergo non potest salvari originale peccatum per puram denominationem extrinsecam.

Secundò. Idem Trid. sess. 6. c. 3. affirmat, homines dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahere, ut licet sit unum origine, sit tamen distinctum in singulis: sed ex mente Pighii & Catherini unum tantummodo esset peccatum originale commune omnibus, cum actuale peccatum Adami tanquam actus immanens ipsius non possit multiplicari in posteris.

Tertio. Concilium ibidem opponit comparative injustitiam, quam ex Adamo per generationem accepimus, gratiæ & sanctitati, quam à Christi

per baptismi regenerationem accepimus: ergo sicut ista est cuilibet baptizato propria, intrinseca, & distincta à sanctitate Christi, ita & injustitia, quam ex Adamo contrahimus, est cuilibet propria, intrinseca, & distincta à peccato Adami.

Quarto. Pœna damni, respondens culpæ originali, intrinsecè & sigillatim afficit omnes, qui sine baptismo decedunt: ergo similiter culpa originalis, cui illa proportionatur, debet esse intrinsecè recepta in singulis.

Quintò per baptismum intrinsecè mundatur, & abluimur à peccatis: sed hoc significat in proprietate verborum abluentionem alicujus maculæ intrinsecæ: ergo.

Fundamenta contrariæ opinionis peccati in confusione peccati originalis activi originans cum peccato originali passivo, & tantus causalium formalium.

Unde ad 1. Respondeo distinguendo majorem: Est peccatum originale originans, concedo; est peccatum originale, originatum, & passivè receptum, nego. Hoc enim est ipsa moraninæ; & sic distincta minore, nego consequentiam.

Ad 2. distingo majorem: Illud est nostrum originale peccatum, quo formaliter & intrinsecè peccatores constituimur, concedo; quo casualiter, & extrinsecè, nego majorem; sed per Adæ actuale peccatum constituimur peccatores casualiter & extrinsecè, concedo; formaliter & intrinsecè, nego minorem & consequentiam.

Ad 3. nego minorem, & probationem distinguo. Illud transmisit, quod habuit casualiter, concedo; formaliter, nego. Peccatum enim, quod formaliter habuit, cum esset actus immanens, transmitti non potuit.

Similiter ad 4. Illud est originale, quo Adam nobis nocuit, & nocet formaliter, concedo; quo nocuit casualiter, nego; vel subdistinguo: Est originale originans, & activè, concedo; originatum, & passivè, nego.

Ita & Basilii loquitur in sensu casuali, cuius exilium à paradiso refundit in commestionem pomi prohibiti. D. verò Bernardus loquitur de casu, quo omnes in Adamo peccante ceciderunt in debito & potentia, non actu; extrinsecè, non intrinsecè.

## §. III.

*Sententia Durandi rejicitur.*

Durandus in 2. dist. 30. q. 3. dicit, peccatum originale parvulorum formaliter consistere in reatu, seu dignitate carenti justitiæ originali, quæ carentia est pœna ipsorum.

Fundamentum habet in autoritate SS. Dionysii & Augustini; nam Dionysius de Div. nom. c. 4. asserit, puniri non esse malum, sed esse pœnâ dignum: ergo dignitas pœnæ est moralis malitia, ideoque sufficiens, ut formaliter constituat peccatum originale. D. verò Augustinus disputans contra Pelagianos sapius meminit, concupiscentiam in non baptizatis esse peccatum originale non ratione sui, sed ratione reatuus juncti, & idem esse tolli reatum, ac tolli originale peccatum.



7. Sed contrā est: Vel per reatum intelligis obligationem ad pœnam, vel dignitatem ad illam subeundam; sed neutro modo potest in reatu peccatum originale consistere. Non in obligatione; partim quia hæc est à DEO, culpa non est à DEO; partim quia nemo ad pœnam obligatur à DEO, nisi culpabilis & dignus pœnā, adeo, ut obligatio prius culpam & dignitatem pœnæ supponat; partim quia potest à DEO tolli obligatio ad pœnam, remanente culpā. Non etiam in ipsa dignitate pœnæ, quia & ipsa dignitas pœnæ est proprietas culpæ, eandem naturā & ratione prius supponens, prout dictum in priori Tractatu de peccato personali: non enim ideo aliquis habet culpam, quia est dignus pœnā; sed ideo est dignus pœnā, quia habet culpam. Vel igitur iste reatus resultat in parvulo ex aliqua culpa verè ipsi inexistente, vel tantum, ex culpa extrinseca Adami; si primum, habetur intentum, præter reatum ad pœnam admittendam esse veram culpam in parvulis; non utique actualem; ergo originale. Si secundum, incidit in sententiam priori §. refutatam, nec multum differt à modo loquendi Pelagianorum, qui dicebant, nos solum quoad obligationem luendi pœnas Adæ peccatum participare.

8. Ad auctoritatem SS. Dionysii & Augustini Respondeo, pœnā dignum esse malum arguitivè & consecutivè, quia ex hoc arguitur aliquem esse culpabilem, cum pœna sit effectus & signum peccati; non verò esse malum constitutivè. Item D. Augustinum loqui de reatu radicali, qui est reatus culpæ, non pœnæ; nam culpam sapius hoc modo radicaliter, vel etiam metonymicè fumendo effectum pro causa appellari possum constat ex S. Script. ut Exod. 32. *Percussit DEUS populum pro reatu vituli.* Et Deut. 21. *Auferetur ab eis reatus sanguinis,* hoc est, culpa homicidii, quo modo loquendi etiam utitur Tridentinum sess. 5. de pecc. orig. can. 5. Verum relictiis hisce sententiis jam anriquat.

## § IV.

*Quadam sententia probabiles refelluntur.*

9. Valde communis Recentiorum doctrina & conformis ad ea, quæ tradunt de peccato habituali, est, peccatum originale formaliter esse moralem concursum posterorum ad prævaricationem Adæ, iis inexistentem & intrinsecum non physicè, sed moraliter: sicut in adulto actus peccati semel commissus manet habitualiter, donec per pœnitentiam deleatur. Sic Lugo de pœnitentia Disp. 10. f. 7. n. 20. Suar. 1. 2. de pecc. D. 9. sect. 2. Granada, aliique plures. In qua sententia duplex est admittenda moralitas; una per quam voluntates posterorum fuerunt transfusa in voluntatem Adami; ita ut Adamo peccante posterius quoque moralem concursum præstiterint, & peccaverint in Adamo. Altera est, quòd sicut personale peccatum Adami post commissio-nem transit in habituale peccatum, & ipsum moraliter intrinsecè inquinavit; sic etiam ille concursus & actus posterorum, quamdiu per baptismum non remittitur, censetur in illis præsens, & intrinsecus moraliter.

R. P. Alexg. Theob. Schol. Tom. II.

Exponunt & probant suam sententiam tum aliarum refutatione, tum paritate peccati habitualis personalis; illud enim consistit in peccato proprio præterito non retractato, ita ut ex parte voluntatis connotet actum præteritum, ex quo habet quòd sit voluntarium, & negationem retractationis; ex alia verò nempe ex parte DEI connotet negationem condonationis: ergo similiter peccatum habituale originale constituendum erit in peccato Adami, non ut præcisè erat Adami personale peccatum, sed ut simul erat peccatum naturæ, & omnium posterorum, ex quo habet, quòd sit voluntarium, simulque in morali in hærentia & præsentia, quæ constituitur ex negatione condonationis & remissionis Divinæ.

Confirmatur. Idem specie est peccatum originale in parvulis, quòd erat habituale peccatum in Adamo: sed peccatum habituale in Adamo consistebat in peccato præterito non retractato: ergo etiam in hoc consistit peccatum originale in parvulis modo explicato.

Sed contra hanc sententiam faciunt ea, quæ de 10. peccato habituali diximus in priori Tractatu, præcipuè quòd juxta Trid. peccatum originale sit macula verè intrinseca, quæ omnibus inest unicuique propria, & quòd parvuli, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant ex vi propagationis carnalis, sicut fideles per renascentiam in baptismo gratiam Christi consequuntur: atqui in hac sententia nulla forma verè parvulis intrinseca & inherens ostendi potest, quæ lavacro baptismi verè abluatur: non enim sufficit dicere, esse moraliter intrinsecam; quidquid enim moralitatis assignaveris, est parvulo extrinsecum; videlicet ordinatio Divina de transfusione voluntatum in voluntatem Adami, peccatum ipsius, & negatio condonationis Divinæ: ergo ex nullo capite salvatur, quòd peccatum originale sit parvulis intrinsecum. Adde, quòd verba Concilii. [prout jam sup. tract. indicatum] sint in proprio sensu accipienda.

Inter Thomistas Godoyus cum Martinez aliis. Itaque citatis docet, peccatum originale consistere in aliqua moralitate positiva, quæ sit conversio in bonum commutabile, & averfio ab incommutabili bono.

Fundamentum petunt primò ex D. Th. hic a. 2. ubi cum in tit. art. quæsitisset, *mirum peccatum originale sit habitus?* resolvit esse habitum, non per modum active inclinationis, sed dispositionis, quæ natura bene vel malè se habet, idque comparat cum aegritudine, & in C. vocat *languorem anima,* & ad 1. *habitu corruptum.*

Præterea inf. q. 113 a. 1. dicit, justificationem impii, quæ est transitus à peccato habituali ad gratiam, esse motum: atqui motus est inter terminos positivos.

Tandem q. 24. de Verit. a. 12. inquit: *Homo, qui est in peccato mortali, habitualiter peccato inheret, quamvis enim non semper habeat habitum vitii, quia ex uno actu luxuria habitus non generatur; voluntas tamen peccantis devotè incommutabili bono, bono commutabili quasi fini adhaeret. Et hujusmodi adhaerentis vis & inclinatio in eà manet, quousque iteratò bono incommutabili quasi fini adhaereat.*

L 1 a

Funda-



Fundamentum à ratione idem ferè est, quod prioris sententiæ: nimirum: Peccatum originale, quod ex Adamo contrahimus, est ejusdem rationis cum illo peccato habituali, quod Adam per actualem inobedientiam contraxit: sed istud consistebat in termino positivo, & habituali conversione, seu adhesionem ad bonum creatum, tanquam ultimum finem [ita nempe docent isti auctores universaliter de omni peccato habituali:] ergo etiam peccatum originale in ejusmodi habituali, & positiva conversione consistit.

12. Contra hanc sententiã est primò: quia illa habitualis & positiva inclinatio in bonum commutabile, vel est aliquid corporeum, vel incorporeum. Non corporeum; primò, quia hoc non potest intrinsicè afficere spirituales animæ substantiam. Secundo, quia vel esset substantia, vel accidens. Non substantia, hic enim est error Manichæorum; non accidens, quia hoc vel iterum esset concupiscentia, vel qualitas morbida, quorum utrumque Catholica & communis doctrina eliminat. Non incorporeum: primò, quia ipsa voluntas peccantis per peccatum deordinata à DEO est naturalis inclinatio in bonum proprium, tanquam in ultimum finem, unde alia inclinatio superaddita est supervacanea; secundo, quia nulla inclinatio naturalis præter voluntatem pro suo objecto, & termino respicit finem ultimum. Tertio: quia, ut expressè fatetur S. D. q. 24. de Verit. a. 12. non per quemlibet actum peccaminosum generatur habitus, cum tamen per quodlibet peccatum voluntas peccantis adhaereat bono commutabili. Quarto: quia est inexplicabile, quomodo Adam peccatum mediante generatione transfundat aliquid positivum in posteros, quando ipsum nec in se, nec in virtute aliqua positiva semini impressa, quam fidentiam esse ex dictis constat, existit.

13. Neque dicas: non transfundere physicè, sed moraliter: nam moralis positiva causalitas consistit in motionem alienæ voluntatis ad ponendum effectum, adeoque si Adam moraliter causaret illum terminum positivum, tunc per suam inobedientiam demeritorie moveret Divinam voluntatem ad ponendum illum terminum positivum, cum alia voluntas in illum influens assignari nequeat, quod rursus est magnum absurdum.

Confirmatur. Terminus positivus requirit causam positivam: hæc non est peccatum Adam, non est voluntas Divina, nec alia est assignabilis: ergo nec terminus positivus.

Contra hanc sententiã est secundo, quod nimirum falsis suppositis, nempe, quod tam peccatum actuale, quam habituale formaliter consistit in positivo, quæ tamen ex oppositis fundamentis tum in presenti, tum in priori Tract. refutavimus quæ hic non sunt repetenda. Ex quibus etiam solum manet fundamentum hujus sententiæ à ratione petum.

Contra est tertio: In illo formaliter consistit culpa originalis, quod tollitur formaliter per gratiam sanctificantem: sed per illam non tollitur aliqua forma positiva, tollitur vero sui privatio, tanquam opposita: ergo culpa originalis non consistit in aliquo positivo. Adde, quod ille terminus positivus causalus per actum peccaminosum voluntatis esset subjektivè in voluntate, quam inclinaret in pravam finem ultimum: si qui culpa originalis subjektivè non est in voluntate, sed in animæ substantia.

Ad testimonia ex S. D. adducta, & ad 1. Respondeo cum Salmanticensibus hic disp. 16. dub. 3. §. 5. Peccatum à S. Doctore vocari habitum non propriè, sed similitudinariè, tum ratione lux permanentiæ, tum ratione malæ dispositionis, quæ non positivè, quasi per aliquam formam & qualitatem positivam, sed negativè tanquam per privationem justitiæ originalis, anima male se habet respectu finis ultimi: aliàs quo pacto rationem formalis culpæ originalis potuisset constituere in privatione justitiæ originalis, quod tamen affirmat a. 3. mox referendo.

Ad 2. Respondeo, motum ibidem late accipi, qui sit inter terminos, vel positivè, vel negativè contrarios. Nisi malis dicere, etiam in justificatione terminum à quo, hoc est, habituale peccatum esse terminum positivum, non quidem formaliter, sed connotativè, videlicet ratione actus peccaminosi, à quo causalus.

Ad 3. Respondeo. Illum locum aliud nihil velle, quam quod post peccatum relinquatur habitualis adhæsiõ ad bonum commutabile, indistincta tamen partim ab ipsa voluntate, partim à concupiscentia, quæ in peccato originali se habeat non formaliter, sed materialiter.

## ARTICULUS II.

### In quonam formaliter consistat peccatum originale?

#### SUMMARI A.

1. Exponitur donum justitiæ originalis.
2. Statuitur formale peccati originalis in privatione justitiæ originalis secundum primarium effectum.
3. Probatio ab auctoritate.
4. Probatio à ratione.
5. Auctoritas D. Thomæ objecta exponitur.
6. Rationes objectæ.
7. Solvuntur.
8. Peccatum originale est idem specie atoma in omnibus hominibus.

#### §. I.

#### Expositio justitiæ originalis & resolutio questionis.

Notandum, quod justitiã originalis, quam Adamus in paradiso & innocentie statu obtinuit, atque, si in illa perseverasset, etiam in posteris transmisisset, adæquatè sumpta includat plerumque donorum & perfectionum aggregationem, quibus anima DEO, & vires inferiores superiorem bus perfectè subjiciebantur, corpus quoque à



morbis, & ipsa morte immune conservabatur: quoad primariam tamen perfectionem, qua nimirum anima DEO perfecte subiciebatur, & ex qua tanquam radice alia dona in animam & corpus redundabant, fuisse ipsum habitum gratiæ sanctificantis, prout Salmanticenses tr. de pecc. disp. 16. dub. 1. colligunt à S. D. 1. p. q. 95. a. 1. dicente: *Per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.* Et 1. 2. q. 23. a. 2. ad 2. *Originalis iustitia pertinebat primordialiter ad essentiam animæ, erat enim donum divinitus datum humane nature, quam per prius respicit essentia animæ, quam ejus potentia.*

Ex quibus ratio sic deducitur primò. Sola gratia sanctificans pertinet ad essentiam animæ, alia verò dona ad potentias ipsius: sed iustitia originalis pertinet primariò & radicaliter ad essentiam animæ: ergo primariò & radicaliter consistit in gratia sanctificante. Secundò. Tunc iustitia originalis primariò consistit in gratia sanctificante, quando primarius effectus ipsius est formalis effectus ipsius gratiæ sanctificantis: sed est: quia primarius effectus est animam DEO subicere: sed hoc est munus formale gratiæ sanctificantis: ergo. Neque ex hinc sequitur, quòd restituta per baptismum vel poenitentiam gratià restituat iustitia originalis: quia iustitia originalis non tantum nominat perfectionem & effectum primarium, sed ut conjunctum cum donis, perfectionibus & effectibus secundariis in ipso radicatis. Unde licet gratia sanctificans cum suo effectu primario, qui est animam DEO subicere, per baptismum & poenitentiam conferatur, non tamen meretur appellationem iustitiæ originalis ob defectum aliorum donorum & perfectionum, quæ ab originali iustitia includuntur. His prænatis sit

2. **CONCLUSIO.** *Peccatum originale [intrinsecè contractum à parvulis] formaliter consistit in privatione iustitiæ originalis, hoc est, gratiæ sanctificantis, ex primario sine DEO animam subicientis, quatenus illa privatio est causata per inobedientiam Adami.*

Ita potior Thomistarum cum S. D. sic habente in terminis hic q. 8. a. 3. in c. *Privatio originalis iustitiæ, per quam voluntas subdebatur DEO, est formale in peccato originali.* Et paulò post: *Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter verò est defectus originalis iustitiæ.*

3. Probatur primò autoritate tum D. Anselmi, tum Tridentini. Nam ille 1. de Cone. Virg. c. 26. ita loquitur. *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, scilicet per inobedientiam Adæ iustitiæ debita nuditatem.* Et Trid. sess. 5. in Decr. de pecc. orig. & sess. 6. cap. 3. dicit: *Peccatum originale inesse cuique proprium, parvulos propagatos ex Adamo, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahere, quam regenerationis lavacro necesse sit expiari.* Ex quibus sic inferitur. Peccatum originale est id, quod inest cuique proprium, & per gratiam baptismi deletur: sed nihil aliud est assignabile intrinsecum animæ, quod per gratiam baptismi deletur, quam prædicta privatio iustitiæ originalis: ergo.

Probatur secundò ratione. Macula, seu peccatum habituale formaliter consistit in privatione gratiæ, quatenus causata, & voluntaria ex actu præterito: sed peccatum originale parvulis intrinsecum est de genere peccati habitualis, ut constat: ergo consistit in privatione gratiæ, secundum primarium effectum, [quem habet tanquam iustitia originalis] animam DEO subicientis, & in ipsum habitualiter convertentis: atqui non consistit in illa ut causata & voluntaria per actum personale propriæ voluntatis: ergo in illa ut causata per Adami peccatum, quod physice quidem spectatum erat actus Adami proprius: moraliter verò erat pariter peccatum totius nature in Adamo tanquam capite contentæ. Major probata manet ex iis, quæ de peccati habitualis essentia sup. diximus.

Probatur tertio. Peccatum originale vel consistit formaliter in aliquo positivo, vel privativo. Non in positivo, rum, quia omne ens positivum est à DEO, nec potest habere formaliter rationem defectus: tum quia illud positivum deberet esse intrinsecum animæ secundum doctrinam Trident. atqui ea positiva, quæ sunt intrinseca animæ, non tolluntur per gratiam baptismi, siquidem fomes concupiscentiæ remanet in renatis: ergo necesse est, ut formaliter consistat in privativo: sed in nullo alio privativo, quam iustitiæ originalis secundum primarium suum effectum animam DEO subicientis, qui est ipsi communis cum gratia sanctificante: ergo.

Confirmatur. Illud peccatum ex Adamo parvuli contrahunt generatione, quod erat in Adamo habituale, & macula relicta ex primo peccato Adami: atqui illud erat privatio gratiæ tanquam iustitiæ originalis: ergo hoc ipsum est originale contractum à parvulis. Major constat: nam peccatum originale est de genere peccati habitualis, ideoque à Trident. vocatur mors animæ: ergo respondet habituali peccato Adami. Minor etiam patet: quia mors animæ in Adamo causata ex primo peccato fuit carentia & privatio iustitiæ originalis, quatenus ex primario effectu animam DEO subicientis, quo primario effectu sublato, alia mox deordinationes fuerunt secutæ.

Probatur 4. Explicata privatio iustitiæ originalis habet omnia requisita ad formale constitutum peccati originalis: ergo. Antecedens probatur. Nam primò est radix omnium aliarum imperfectionum, quæ ad peccatum originale quoquo modo reducuntur, ut explicat S. D. loc. cit. his verbis: *Per iustitiam originalem perfectè ratio continebat inferiores animæ vires, & ipsa ratio à DEO perficiebatur ei subiecta. Hac autem originalis iustitia substracta est per peccatum primi parentis, & ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitute proprio ordine, quo naturaliter ordinatur ad virtutem, & ipsa destitutio vulneratio dicitur nature.* Item opusc. 192. *Quia, inquit, dicti status tam ordinata integritas tota causabatur ex subiectione humane voluntatis ad DEUM, consequens fuit, ut subducta humana voluntate à voluntate Divina, depriveret illa perfecta subiectione virium inferiorum ad rationem, & corporis ad animam, &c.* Secundò: quia ista privatio est vera animæ macula, & habitualis deformitas,



mitas. Tertiò: quia est averfio ab ultimo fine fupernaturali, quemadmodum gratia est habitua- lis converfio in ipfum. Quartò: quia est volun- taria terminativè ex peccato Adami tanquam peccato totius naturæ. Ac Quinto: quia est de- lebilis per infufionem gratiæ baptifmalis. Sex- tò: quia est privatio debiti ordinationis habi- tualis in finem fupernaturalem, & habitualis con- formitatis cum lege fupernaturali, quæ in gratia fandiificante confiftit.

## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

5. **O**bjicies primò authoritatem S. D. ad Anni- baldum d. 30. a. 2. ubi dicit, quòd peccatum originale confummativè est privatio iuftitiæ. & ori- ginaliter confiftit in ipfa habitu dine ad commutabi- le bonum ex peccato primi parentis relicta: ergo non confiftit formaliter in privatione. Item hæc cit. q. a. 1. in c. peccatum originale dicit effe ha- bitum, ficut est agritudo. Et ad 1. vocat habi- tum corruptum, & languorem naturæ: fed ifta dicunt aliquid pofitivum.

Refpondeo ad 1. Tò originaliter accipi à S. D. pro materialiter & difpofitivè, & Tò confumma- tivè pro formaliter, ut verba fuperiùs allegata cla- rè explicant. Et ad alterum dico, ut priùs, pec- catum originale à S. D. vocari habitum & lan- guorem ex triplici caufa: primò fimilitudinariè propter habitualem permanentiam, quam habet in anima adinfar cuiuslibet peccati habitua- lis. Secundò caufaliter; quia fublata iuftitià ori- ginali confequitur fomes concupifcentiæ, & inor- dinatio potentiarum, quæ pertinent ad materiale peccati originalis. Tertiò dicitur habitus ma- terialiter, in quantum pro materiali habet inor- dinatam difpofitionem partium animæ; ficuti mor- bus corporalis pro materiali dicit ipfos humores inordinatè difpofitos, pro formali autem priva- tionem, quæ tollitur æqualitas fanitatis, inquit S. D. cit. a. 1. ad 1.

6. **O**bjicies fecundò ex ratione, & quidem primò. Pœna peccati originalis non eft originale pecca- tum: fed fubtractio iuftitiæ originalis fuit facta in pœnam peccati Adami: ergo non eft ipfum peccatum originale. Majorem habet S. D. q. 5. de malo a. 1. in c. fic concludens: *Conveniens pœna peccati originalis eft fubtractio gratiæ, & per confequens vifionis Divinæ, ad quam homo per gra- tiam ordinatur.*

Secundò. Si DEUS parvulum per gratiam u- nionis hypoftaticæ fandiificaret, fine infufione gratiæ habitua- lis, eò ipfò deleteretur peccatum ori- ginale, & tamen non tolleretur privatio gratiæ fandiificantis: ergo peccatum originale eft fepa- rabile à privatione gratiæ, & confequenter non poteft formaliter in illa confiftere.

Tertiò. Si peccatum originale formaliter con- fiftet in privatione iuftitiæ originalis, tunc eò ipfò, quòd per baptifmum deleatur peccatum ori- ginale, reftitueretur iuftitiæ originalis: fed hoc non fit: ergo. Sequela patet: quia privatio formæ non tollitur nifi per formam oppofitam; fi ergo aufertur privatio iuftitiæ originalis, con- ferri debet ipfa iuftitiæ originalis.

Quartò. Peccatum originale adæquatè fump- tum non minùs dicit converfionem ad bonum commutabile, quàm averfionem ab ultimo fine: ergo adæquatè non confiftit in fola privatione.

Refpondeo ad 1. ut fup. de peccato habitu- ali, fubtractio feu privatio iuftitiæ originalis facta eft in pœnam peccati, ut eft negatio phyficè fpecta- ta, & à DEO per fubtractionem influxus, conce- do; ut privatio moraliter fpectata, & caufata ex peccato Adami, nego. Item: eft pœna, quan- tum ad effectus fecundarios, qui funt fubjectio appetitùs inferioris ad fuperiorem, exemptio à morte, & infirmitatibus, concedo; quantum ad effectum primarium, qui eft fubjectio animæ ad DEUM, nego: eodemque modo diftincto con- fequente, nego confequentiam.

Ad 2. nego antecedens, etiamfi enim in illo cafu non daretur parvulo gratia fandiificans, ut in fe, daretur tamen ut eminenter contenta in fuperiori dono gratiæ hypoftaticæ. Unde fi dic- cas: privatio non tollitur nifi per formam oppo- fitam: fed forma oppofita eft gratia: ergo priva- tio non tollitur nifi per infufionem gratiæ; fed hæc non infunditur ex hypothefi; ergo. Re- fpondeo diftinguendo Minorem: forma oppofita eft gratia vel formaliter, vel eminenter talis, con- cedo; folum formaliter talis, nego: ergo non tollitur nifi per infufionem gratiæ, nifi hæc fup- pleatur per gratiam fuperiorem, & fubftantialem, concedo; fi fuppleatur, ut contingit in hypo- thefi, nego confequentiam.

Ad 3. diftinguo majorem, reftitueretur iuftitiæ originalis, quoad aliquem & primarium effe- ctum, qui eft fubjectio mentis ad DEUM, con- cedo: quoad omnes fecundarios effectus, priùs me- moratos, nego.

Ad 4. diftinguo antecedens: peccatum ori- ginale adæquatè fumptum, hoc eft, tam quoad par- tem materialem, quàm formalem, dicit habitu- nem ad commutabile bonum, concedo; inadæ- quatè fumptum, quantum ad rationem formali- conftituti- vi, nego; & pariter diftincto con- fequente, etiam nego confequentiam.

Ex didis colliges, quòd peccatum originale fit idem fpecie atoma, & æquale in omnibus homi- nibus, fiquidem & caufa, nimirum Adami pec- catum, & forma huic privationi oppofita, videlicet iuftitiæ originalis, & pœna damni, quæ pro pec- cato originali infligitur, eadem fpecie eft in omni- bus.





## DISPUTATIO XXIX.

DE

## Subiecto peccati originalis. ad q. 83.

**N**omine subiecti venit tam proximum quam remotum. Remotum dicimus ipsam personam, & suppositum, quod originali peccato inficitur: de quo certum est ex antè dictis, omnes homines ex Adamo per generationem propagatos eodem inquinari, nisi speciali privilegio muniantur: quâ occasione quaritur, an Beatissima Virgo non tam ab ipso peccato originali [ id quippe jam in tota Ecclesia receptissimum est ] quam ab ejus debito proximo incurrendo privilegium obtinuerit. Cum verò persona hominis constet diversis partibus, & substantialibus, puta anima & corpore, & accidentalibus, puta potentiis, quaritur, secundum quam partem originale peccatum in homine proximè & immediatè subiectetur?

## ARTICULUS I.

*Quodnam sit proximum subiectum peccati originalis.*

## SUMMARIUM.

1. Diversa consideratio peccati originalis.
2. Peccati originalis formaliter sumpti immediatum subiectum est anima.
3. Quoad effectus & proprietates etiam recipitur in potentiis anime.
4. Per justitiam originalem voluntas DEO subijcitur radicaliter & mediante charitate.
5. Peccatum originale integraliter sumptum inficit potentias anime.
6. Omnis culpa est voluntaria mediante voluntate tanquam causa, non semper tanquam subiecta.

tione justitiæ, sive gratiæ sanctificantis tanquam habitualis subjectionis anime ad DEUM; ideo ipsius formalis effectus est privare animam formâ gratiæ sanctificantis: sed iste immediatè recipitur in anima, sicut & forma opposita, per quam hæc privatio formaliter expellitur, nempe gratia sanctificans, immediatè recipitur in anima: ergo formalis effectus peccati originalis in anima recipitur.

Probatur secundò ratione Angel. Doctoris. Secundum illam partem anima immediatè recipit culpam originalem, secundum quam immediatè & proximè unitur corpori: sed secundum ipsam substantiam anima immediatè unitur corpori; non enim anima mediantibus potentiis, sed potentiæ mediante substantia anime corpori uniuntur: ergo anima culpam originalem secundum ipsam suam substantiam immediatè & proximè recipit. Major probatur. Culpam originalem derivatur in animam per generationem unitivam anime cum corpore, unde secundum hoc concipitur anima primò receptiva culpæ originalis, secundum quod primò concipitur unita corpori: sed secundum ipsam substantiam, quæ per actionem unitivam immediatè & per se primò intenditur, concipitur anima primò unita corpori: ergo secundum ipsam substantiam primò & immediatè recipit anima culpam originalem.

Secunda pars probatur. Sicut justitia originalis per virtutes supernaturales tanquam suas proprietates redificabat anime potentias, easque DEO subordinabat, & quidem proximè ipsam voluntatem mediante habitu charitatis, quo convertebatur in DEUM ut ultimum finem: appetitum verò sensitivum per specialem vigorem ex se diffusum subijciebat rationi: sic ex opposito peccatum originale, quod primariò & immediatè privet ipsam animam habituali subjectione, & ordinatione ad DEUM, secundariò privat potentias anime, & maxime voluntatem habituali conversatione

## §. I.

*Sententia D. Thome.*

1. **P**roest peccatum originale considerari vel essentialiter, vel secundum effectum formalem primarium, vel integraliter secundum suas proprietates, & effectus secundarios, quemadmodum & justitia originalis hoc modo spectari potest. Essentialiter & secundum effectum primarium est privatio gratiæ tanquam habitualis subjectionis ad DEUM, integraliter & secundum istos effectus secundarios, seu ut vocat Angel. Doctor, materialiter importat fomitem concupiscentiæ, & vulnera potentiarum, de quibus in Tract. de gratia. Quo posito sic
2. **CONCLUSIO.** Peccatum originale secundum suam malitiam essentialiter proximè & immediatè recipitur in ipsa substantia anime: diffusivè tamen secundum suas proprietates, & effectus etiam recipitur proximè in voluntate, & remotè in aliis potentiis. Ita deducitur ex hac quæstione 83. S. D.

Prima pars probatur primò. In illo subiecto immediatè recipitur peccatum originale quoad suam essentiam, in quo est effectus formalis ipsius: sed ipsius formalis effectus est immediatè & proximè in anime substantia: ergo & peccatum formale. Minor probatur. Cum juxta præced. disp. peccatum originale formaliter consistat in priva-



versione ad DEUM ut ultimum finem : ipsum verò appetitum sensitivum illo vigore, quo sub-  
jiciebatur rationi : ergo sicut justitia originalis  
primariò & principaliter in animæ substantia,  
diffusivè verò & quasi integraliter per suas pro-  
prietates in animæ potentiis recipitur ; ita pari-  
ter originale peccatum primariò & immediatè in  
animæ substantia, diffusivè autem & secundariò  
secundùm suos effectus in animæ potentiis reci-  
pitur : Unde sunt illa animæ vulnera ; malitia in  
voluntate, ignorantia in intellectu, fomes con-  
cupiscentiæ in appetitu sensitivo. De quibus in  
Tra&. de grat.

## §. II.

*Solvuntur objectiones.*

4. **O**bjicies primò authoritatem D. Th. hic q. 82.  
a. 1, in c. dicentis : *Sic ergo privatio origi-  
nalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur DEO,  
est formale in peccato originali ; omnis autem alia  
inordinatio virium animæ se habet in peccato ori-  
ginali sicut quoddam materiale.* Ex quo sic ar-  
guitur. Justitia originalis, quatenus volunta-  
tem DEO subjiciens est in ipsa voluntate : ergo  
etiam privatio justitiæ, quatenus voluntatem  
DEO subjicientis, est in ipsa voluntate : sed jux-  
ta D. Th. formale peccati originalis est privatio  
justitiæ ut voluntatem DEO subjicientis ; ergo  
formale peccati est in voluntate, non in substan-  
tia animæ.

Respondeo. Tò per quam, intelligi radicali-  
ter & causaliter, non formaliter ; sicut etiam Tò  
subdebatur intelligendum est consecutivè per  
modum primæ proprietatis. Unde ad argumen-  
tum distinguo antecedens : justitia originalis  
quatenus voluntatem DEO subjiciens est in ipsa  
voluntate, est secundùm effectum secundarium,  
& consecutivè concedo ; secundùm effectum pri-  
mariū, nego : eodemque modo distinguo con-  
sequens. Subsumptum quoque distinguo. Se-  
cundùm S. Doctorem formale peccati originalis  
est privatio justitiæ, quatenus voluntatem DEO  
subjicientis causaliter & radicaliter per effectum  
secundarium, concedo ; formaliter & per effe-  
ctum primariū, nego subsumptum & conse-  
quentiam.

5. **O**bjicies secundò eundem S. D. cit. q. a. 2. ad  
3. quòd peccatum originale inscit diversas partes  
animæ, secundùm quòd sunt partes unius totius, sicut  
& justitia originalis continebat omnes animæ  
partes in communi. Ergo sentit S. D. quòd pec-  
catum originale non tantùm sit in animæ, sed et-  
iam in partibus, hoc est, potentiis ipsius.

Respondeo, sensum S. Doctores sufficienter

colligi ex adjuncta comparatione cum justitia ori-  
ginali. Itaque sensus est : Peccatum originalis  
integraliter sumptum, tam secundùm secunda-  
rios, quàm primarios effectus, tam secundùm pro-  
prietates, quàm secundùm essentiam non tantùm  
afficere substantiam animæ, sed etiam potentias  
ipsius ; sicuti in eodem sensu hoc præstat justitia  
originalis, quo non obstante idem peccatum me-  
taphysicè formaliter, & essentialiter sumptum est  
in sola animæ substantia ; unde illo ipso an in  
corpore dicit : quòd omnis alia inordinatio vir-  
tutum animæ [præter privationem justitiæ, per quam  
voluntas DEO subdebatur] se habet in peccato ori-  
ginali, sicut quoddam materiale.

**O**bjicitur tertio : Anima non est capax culpæ,  
nisi mediante voluntate : ergo culpa originalis  
per prius in voluntate, quàm in anima recipitur.  
Antecedens probatur. Nullum voluntarium reci-  
pitur in anima, nisi mediante voluntate : sed  
omnis culpa etiam originalis, est voluntaria ; ergo  
nulla culpa nisi mediante voluntate in anima  
recipitur.

Respondeo, negando antecedens, ejusque pro-  
bationem distinguo. Nullum voluntarium reci-  
pitur in anima, nisi mediante voluntate, tan-  
quam causa quasi efficiente, concedo ; tanquam  
subjecto, nego : ergo nulla culpa nisi mediante  
voluntate tanquam causa in anima recipitur,  
concedo, sic enim voluntate Adami mediante  
macula originalis contrahitur ; tanquam subje-  
cto, nego consequentiam.

**I**ntas. In causis immanenter operantibus, id-  
dem est subjectum termini & operationis : [sicut  
ideo verbum mentis est in intellectu, & impulsus  
in voluntate] ergo sicut malitia actualis peccati  
immediatè recipitur in voluntate, sic etiam mali-  
tia habitualis peccati tanquam terminus illius ;  
& consequenter culpa peccati originalis median-  
te voluntate non solum ut causa, sed etiam ut  
subjecto in anima recipitur.

Respondeo, distinguendo majorem. In cau-  
sis immanenter positivè effectivè & directè cau-  
santibus terminum, idem est subjectum operatio-  
nis & termini [quod probant instantiæ adductæ]  
concedo majorem ; privativè, defectivè & indi-  
rectè causantibus, nego antecedens & conse-  
quentiam : quia per peccatum actuale non nisi  
defectivè, privativè & indirectè causatur priva-  
tio gratiæ sanctificantis, quæ est macula peccati  
habitualis terminativè voluntaria ; in quantum  
voluntaria averfio ab incommutabili bono ratio-  
ne directæ oppositionis cum efficaci conversione  
ad illud habet indirectam, sed tamen metaphysi-  
cam repugnantiam & impossibilitatem quæ  
gratia Divina ; de quo in Tra&. de gratia.

## ARTICULUS II.

*Utrum Beatissima Virgo Maria contraxerit debitum  
peccati originalis ?*

## SUMMARIUM.

1. Quid intelligendum nomine Immaculata Con-  
ceptionis ?
2. Quanta certitudo Immaculata Conceptionis ?
3. Admittendum in B. Virg. aliquod debitum.
4. Divisio debiti in proximum & remotum.
5. Utriusque debiti differentia.
6. Sententia negans debitum probatur authoritatè.
7. Et ratione.



8. Contraria statuitur, & probatur auctoritate.
9. Occurrit evasioni Adversariorum.
10. Opponitur auctoritas SS. P.P.
11. Mors & propagatio probant debitum proximum.
12. Item solius Christi exceptio, & ratio exceptionis.
13. Stante prævisione Christi post peccatum non potest negari debitum proximum.
14. Sine debito proximo non bene salvatur Christi redemptio.
15. Responsio Adversariorum refellitur.
16. Debitum proximum probatur ex gratia præservativa.
17. Responsio Adversariorum refutatur.
18. 19. Decretum seu pactum conditionatum sub obligatione meritorum Christi est impossibile.
20. A posteriori probatur debitum proximum peccati.
21. Beatissima Virgo non comprehenditur sub lege communi quoad executionem & actualem contradictionem.
22. Oppositæ auctoritates exponuntur.
23. Peccata in Adamo non est vera intrinseca macula.

## §. I.

## Præsupposita.

1. Suppono primò: Nomine Immaculatæ Conceptionis debere intelligi infusionem animæ B. V. in instanti debite organizationis factam cum omnimoda exclusione peccati originalis: nam iste sensus DD. de hoc mysterio loquentium in cathedris; iste sensus fidelium illud venerantium in templis; iste Summ. Pontiff. & Ecclesiæ sensus in approbatione officii de Immacul. Concept. ubi habentur hæc verba: *Tota pulchra es amica mea, & macula originalis non est in te.* Item: *In tua conceptione Virgo immaculata fuisse.* Unde etiam Sixtus IV. & Gregor. XV. prohibuerunt uti nomine Sanctificationis, aut alio quocunque, quàm Conceptionis.

2. Suppono secundò: Veritatem Immaculatæ Conceptionis DEI Genitricis tanquam moraliter [licet nondum de fide] certam, quantà nempe certitudine certum est, Beatissimam Virginem esse in sanctitate natam, & cum corpore in cælum assumptam; siquidem Ecclesiæ non minùs festum Immaculatæ Conceptionis toto orbe celebrandum festivo cultu proponit, quàm festa Nativitatis & Assumptionis; suntque in honorem, & sub patrocinio Immaculatæ Conceptionis institutæ sacræ familiæ, sodalitates, officia, concessæ pro ipsdem Indulgentiæ, &c. ex quo moralis certitudo hujus præsententiæ deducitur argumento nostri Ludovici Blossii in sac. an. fid. c. 5. *Quidquid Ecclesiæ Catholica universaliter colendum proponit, est certò verum & sanctum:* sed Ecclesiæ Catholica Conceptionem B. V. tanquam immaculatam & sanctam universaliter colendam proponit & præcipit, non minùs quàm Nativitatem, ejusque in Cælum Assumptionem; ergo est certò talis. Huius festo initium dedere in Hispania S. Ildefonsus; in Anglia Anselmus SS. PP. & Patres Benedictini. Ille in l. de perpet. Virg. pro Immacul.

R. P. Mez. g. Theol. Schol. Tom. II.

lata Conceptione sic loquitur: *Maria verò, quia benedicta, culpam corruptionis non habuit, propterea Christum non in dolore, nec sub corruptione genuit.* S. verò Anselmus l. de Conceptu Virg. c. 5. in illud Apostoli Rom. 5. *in quo omnes peccaverunt,* ista habet: *Vera utique sententia, & cui contradicere nefas esse pronuntio: sed cum eminentiam gratiæ DEI in te considero, sicut te non intra omnia, quæ facta sunt, inestimabili modo contueor, sic nec lege aliorum in tua formatione demeritam fuisse opinor, singulari & humano intellectu impetrabili Divinitatis virtute & operatione ab omni peccati adjunctione liberrima.* Ec c. 18. *Quia decebat, ut conceptio purissima foret; nempe decens erat, ut eà puritate, quàm major sub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Cum ergo totius Ecclesiæ communis consensus pro veritate Immaculatæ Conceptionis conspiret, luculenti de eadem veritate libri sint editi, & à Summ. Pontiff. impostum contrariæ opinioni silentium: quia nimirum, ut inquit D. August. epist. 118. c. 5. *de eo, quod universa Ecclesiæ facit, disputare, insolentissime insanie est;* Hinc relicta hujus veritatis ulteriori probatione alteram quæestionem discutiendam suscipimus, an Beatissima V. habuerit debitum contrahendi peccatum originale proximum vel remotum? Ubi

Suppono tertio. Cum sit de fide, Beatissimam Virginem non minùs, quàm alios homines fuisse verè & propriè à Christo redemptam, ipsique omnem sanctitatem & prædestinationem esse fundatam in meritis Christi, ideo necessariò admittendum esse aliquod saltem debitum contrahendi peccatum originale, cum hoc sit redemptionis objectum, & ut inquit S. D. in 4. d. 43. a. 4. ad 3. *dimisso debitorum, & liberatio à malo non possit intelligi, quòd aliquis sine debito, vel immunis à malo nascatur.* Unde etiam in precatione offic. Immacul. Concept. annexa dicitur: *Qui ex morte Filii tui prævisa eam ab omni labe præservasti.*

Ceterum illud debitum à Recentioribus distingui cœpit in debitum proximum & remotum. Proximum ille habere dicitur, qui in Adamo tanquam capite morali totius humanæ naturæ vi pacti & decreti Divini contentus, per Adami peccatum jus amisit in sua conceptione recipiendi gratiam & justitiam originalem, & necessitatem contraxit habendi maculam peccati originalis, seu privationem justitiæ originalis, nisi speciali privilegio eximatur, & à tali macula præservetur. Quæ de causâ habentes debitum proximum, dicuntur in Adamo peccasse, non quasi in seipsis intrinsecè aliquam peccati maculam contraxerint; sed quia propter primum Adami peccatum tota universitas hominum seu natura ex Adamo propaganda amisit jus justitiæ originalis, & deberet suo tempore vi naturalis propagationis in omnibus & singulis suis membris concipi intrinsecè inquinata privatione justitiæ originalis. Debitum remotum habere dicitur, qui quidem debuisset includi in generali pacto & decreto de amissione justitiæ originalis, & transfusione peccati, actu tamen non fuit inclusus, eò quòd sub conditione meritorum Christi talis persona fuerit excepta à generalitate legis, quoad partem saltem odiosam de transfusione peccati.

M m

Unde



5. Unde prima differentia inter utramque sententiam est, quod in prima sensus decreti Divini est iste: Ego te Adame nunc constituo caput totius generis humani, ita, ut non tantum omnes homines à te naturam, sed etiam hanc felicitatem, iustitiamque, in qua te collocavi, & tandem vitam æternam accipiant, si in observantia meorum præceptorum perseveraveris. Si verò præceptum meum prævaricatus fueris, peccatum tuum non tibi tantum, sed & omnibus ex te nascituris sit in ruinam, amissionem hujus iustitiæ, felicitatis, immortalitatis atque exclusionem à vita æterna. Altera verò sententia pacto adjicit conditionem, idque sic exponit: Ego volo, ut tua voluntas sit moraliter voluntas omnium posterorum tam in ordine ad transfundendam iustitiam, si perseveraris, quam ad transfundendam malitiam, si peccaveris, exceptâ hac personâ individua, si pro ipsa Christus voluerit offerre sua merita, ubi quidem per generalitatem pacti Beatissima V. fuisset comprehendenda sub Adamo tanquam capite morali quoad partem odiosam de transfusione peccati, si Christus sua merita non obtulisset [quod vocat debitum remotum] ne tamen actu comprehenderetur sub ipso, atque ita cum tota natura haberet necessitatem contrahendi peccatum [quod est debitum proximum] sufficienter cautum fuit in virtute exceptionis & conditionis oppositæ, per quam etiam sufficienter dependebat à meritis & redemptione Christi.

Secunda differentia est, quod prima sententia admittit, Adamum fuisse caput morale respectu Beatissimæ Virginis, eamque in Adam peccasse; hoc enim non significat aliquem defectum actuale in intrinsicè maculantem, aut inhaerentem, sed solum potentiam & debitum contrahendi per extrinsecam denominationem à peccato Adami, prævisum in signo antecedente prævisionem omnis macule actu contractæ, & intrinsicè receptæ. Unde aliud est dicere, Adamum in Beatissima Virgine non peccasse, & aliud, B. V. in Adamo non peccasse: nam prima propositio tantum significat, quod B. V. de facto non incurrit labem originalem propter Adami prævaricationem, altera verò significat, B. V. ne quidem propter Adami peccatum amisisset jus ad gratiam, aut habuisse debitum incurrendi hanc maculam.

Tertia differentia est, quod prima sententia admittit, B. V. comprehensam fuisse sub pacto Divino tam quoad partem favorabilem de transfusione iustitiæ, quam quoad partem odiosam de transfusione peccati: & ideo absolute concedit, B. V. fuisse filiam Adæ tam naturaliter, quam moraliter. At verò secunda sententia admittit fuisse comprehensam sub pacto quoad partem favorabilem, quoad partem verò odiosam dicit fuisse non actu comprehensam, sed tantum comprehendendam, si Christus sua merita pro B. V. non obtulisset.

Quarta differentia est, quod secunda sententia necessariò præsupponit Christi existentiam prævisam in Divina scientia, antecedenter ad prævisionem peccati Adami, nam prius naturâ concipitur pactum cum Adamo initum, quam lapsus Adami: atqui in pacti ipsius conditionali clausula [si Christus sua merita obtulerit] jam suppo-

nitur existentia Christi: ergo hæc etiam supponitur ante prævisionem & existentiam peccati. Prima verò sententia hanc prioritatem nequam supponit: neque tenetur admittere. Hæc ita positus sit

## §. II.

*Proponitur sententia negans debitum proximum.*

Pro prima & negante sententia, quæ notâ 6. primum tempestate invaluit, Salmanticenses referunt, Lezanam, Granadum, Penasofam, & quosdam alios. Citantur etiam pro hac sententia Scotistæ in communi; sed an verè? infra videbimus.

Probatur primò: Lex incurrendi peccatum originale non est lata pro Virgine: ergo non habuit debitum proximum. Antecedens probatur ex quodam Responso Officii à Sixto IV. in Extrav. eam præcellâ. de Reliq. & vener. SS. ubi locus Script. Esther 15. *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est; ita Virgini mysticè applicatur: Omnes moriemini, quia in Adam peccavistis; tu verò ne timeas, ô Maria, invenisti gratiam apud DEUM; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Accedit auctoritas D. Anselmi dicentis: *Sic te nec lege alienam in tua formatione demeritam fuisse opinor: ergo fuit exempta à lege.*

Secundò. In antiph. superius relata dicitur: *Eam ab omni labe præservasti.* Sed DEUS non præservasset ab omni labe, nisi Virginem præservasset, ne peccaret in Adamo; ergo, Hoc pertinet illud D. Anselmi de Concept. Virg. c. 11. *Deipara eâ puritate vivere debet, quæ sub DEO major nequit intelligi.* Sed major utique est puritas, si Beatissima Virgo non peccavit in Adamo, adeoque caret debito proximo peccati: ergo, S. Ildesonus quoque l. de Virg. Marie dicit: *Eam in totum fuisse extraneam à male dicto primo damnationis: sed non fuisse in totum extraneam, si saltem peccasset in Adamo.* D. Cyprianus serm. de Nativitate Christi inquit: *Innoxiam assequi non decuit; nec sustinebat iustitia, ut illud electionis communibus laxaretur injuriis, quoniam plurimum à cæteris differens naturâ communitabatur, non culpâ: ergo debebat eximi à culpa Adami omnibus communi.* D. Augustinus l. de nat. & grat. cap. 36. *Exceptâ itaque S. Virgine Adæ R. I. A. de qua propter honorem Domini nullam proles, cum de peccatis agitur, habere volo questionem; inde enim scimus, quod ei plus gratia collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem concipere nullum habuisse peccatum.*

Probatur tertio. Maxime decuit Beatissimam Virginem præservari etiam à debito peccati; idque DEUS potuit: ergo præsumendum est, à DEO fuisse præservatam. Antecedens quoque ad primum membrum probatur primò: quia est magna vilitas habere necessitatem incurrendi peccatum: & quidem major vilitas & turpitas quam habere fomitem peccati: quia iste tantum inclinatur in materiale peccati: illa verò etiam necessitat ad formale peccati: ergo sicuti decuit

Beatissimam



Beatam Virginem liberari à fomite peccati, & ab actuali contractione peccati originalis; quia utrumque est magna deformitas; ita etiam decuit illam à debito proximo peccati liberari.

Alterum membrum antecedentis etiam ostenditur: Si qua foret ratio, cur DEUS juxta ordinem presentis Providentiæ non potuisset Virginem liberare à debito proximo, esset ista, quod juxta hunc ordinem deberet esse redempta per mortem & Sanguinem Christi; non autem esset redempta, quia pactum Divinum cum Adamo, & prævisio seu permissio peccati originalis est prior prævisione mortis & passionis Christi: Si ergo B. V. fuisset exempta à pacto & peccato Adami, fuisset liberata antecedenter, adeoque independenter ad mortem & passionem Christi, nec proinde propriè foret redempta. Sed hæc ratio nil obest: ergo Minor probatur. Potuit Decretum Divinum, seu pactum cum Adamo initum esse conditionatum circa personam B. Virginis, hoc modo, ut DEUS diceret: Volo ut Adami voluntas sit moraliter voluntas omnium ipsius posterorum, sive ad transcendendam justitiam, sive ad transcendendam culpam; excepta tamen hæc determinatâ personâ, si Christus [qui in ordine intentionis supponitur prius prævisus & intentus] pro illa sua merita offerre voluerit. Sed hoc casu Virgo Beatissima est propriè redempta, quia quamvis ipsi per appositam conditionem cavebatur, ne actu esset comprehensa in illo pacto, quoad partem odiosam de transusione peccati: tamen etiam pro illo signo nondum erat actu liberata, sed primum pro signo posteriori; quo Christus pro ipsius præsertione obtulit sua merita, ac proinde fuit dependenter à meritis Christi præservata.

Si dicas. B. V. pro illo signo, quo pactum cum Adamo fuit prævisum, & decretum, ab illo non fuit actu exempta: ergo fuit actu comprehensa. Nego consequentiam. Tantum enim sequitur fuisse comprehendendam, nisi Christus sua merita offerret. Cum autem in signo posteriori Christus obtulit sua merita, purificata conditio de presenti dedit effectum etiam pro præterito, sive pro illo signo, in quo erat prævisio pacti cum Adamo: ita enim & in humanis contractibus, aut pactis usuvenit, ut rati habitio, vel aliqua conditio impleta det effectum præteriti, & retrorahatur ad tempus initi contractus, pacti &c. juxta textum in L. potior 11. §. 1. ff. qui potiores in piguore: ubi dicitur: *Cum semel conditio exiterit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio inserpstra est, sine conditione facta esset.*

Confirmatur primò: Magis dedecet B. Virginem in Adamo peccasse, quam aliquando peccasse venialiter: ergo si dignitas maternitatis ipsam eximit ab omni culpa veniali; multò magis à peccato in Adam commissio.

Confirmatur secundò. Est offensio piarum aurium, dicere, quòd Beatiss. Virgo in Adamo peccaverit, adeòque fuerit peccatrix, maculata, immunda, DEO inimica, &c. sed hæc offensio non aliter evitatur, quam si negetur debitum proximum: ergo non est asserendum.

Confirmatur tertio. Argumenta, quæ probant immunitatem B. V. ab actuali contractione

peccati originalis, probant etiam immunitatem à debito illius; & e contra, quæ oppugnant immunitatem à debito, pariter oppugnant immunitatem ab ipso peccato originali: ergo pro majori confirmatione piæ & receptissimæ sententiæ, de Beatissimæ Virginis immunitate à peccato originali, tenendum est, ipsam pariter immunem fuisse à debito peccati originalis.

## §. III.

*Præfertur sententia affirmans debitum proximum.*

**CONCLUSIO.** *Virgo Beatissima non fuit ex-*

*empta à debito proximo peccati originalis.* Est communissima doctrina tam SS. PP. quam Theologorum, quorum plurimos vide apud Salmanticenses. tr. 13. disp. 15. dub. 4. §. 3. & 4. Ipse etiam Scotus, insignis propugnator Immaculatæ Conceptionis, verbis admodum claris in nostram concedit sententiam: nam in 3. dist. 3. q. 1. cum Authoritates PP. quæ advertari videntur, reculisset, subjicit: *Ita exponenda sunt auctoritates, quod omnes naturaliter propagari ab Adam sunt peccatores, id est, ex modo, quo habent naturam ab Adam, habent unde careant justitiâ debitâ, nisi eis aliunde conferatur.* Hanc quoque sui Subtilis Doctoris mentem fuisse, agnovit ipsius Scholasticus Hugo Cavellus: *Docet, inquit, modum solvendi omnes Sanctorum auctoritates, que universaliter neminem excipiunt ab originali, quia intelliguntur quoad debitum: omnes enim naturaliter concepti, habent unde contrahant originale ex vi sua conceptionis, nisi ex privilegio aliquis excimatur, &c.*

Si dicas: Scotum loqui de necessitate contrahendi peccatum originale solum in radice, moxves quaestionem de nomine: quod enim in radice appellas, hoc ego eodem jure & sensu voco in debito. Et ideo hanc utramque vocem, tanquam synonymam conjunxit ex eadem schola præclarus Doctor, & Ecclesiasticus Didacus de la Vega in Conc. Dom. Pass. dicens: *DESPERA VIRGO MARIALA etsi peccatum nullum sive originale, sive actuale habuerit, contraxit tamen illud NB. in radice, & in debito.*

Probatur autoritate simul & ratione primò. Beatissima Virgo peccavit in Adamo: ergo habuit debitum proximum. Antecedens probatur primò: quia Apostolus eadem universalitate loquitur de morte, & peccato hominum in Adamo; quâ loquitur de reparatione hominum per mortem & redemptionem Christi. Inde enim 2. Corinth. 5. facit hanc consequentiam: *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Rom. 3. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ DEI.* Ibidem c. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ &c.*

Secundò, quia teste Jo. à S. Th. Pelagius in Concilio Palæstino fuit jussus abjurare istum articulum, quòd per mortem, & prævaricationem Adam non omne genus humanum moriatur.

Dices. Sicut est fundamentum excipiendæ B. V. ab universalibus locutionibus adstruentibus actualem contractionem peccati originalis; sic

M m 2

pariter



pariter esse fundamentum eandem excipiendi à debito proximo: ideoque sufficere ad veritatem illarum propositionum, quòd B. V. debuisset in Adamo peccare, nisi fuisset excepta in pacto conditionato.

Sed contrà est primò. Quòd fundamentum eximendi B. V. à peccato originali actu contracto præbet ipsemet Apostolus, cum dicit Rom. 5. *In quo [hoc est Adam] omnes peccaverunt.* Per quæ expressè significat, se loqui de peccato Adami comprehendente totum genus humanum, quo omnes homines extrinsecè denominantur peccatores in Adamo, & debitores ipsam intrinsecè maculam peccati in sua conceptione contrahendi, adeòque etiam reliqua, quibus affirmat, *omnes esse mortuos*, commodè exponuntur de morte, vel in se, vel in Adamo: Atqui nullum præbet fundamentum eximendi B. V. à debito proximo, sive à morte & peccato in Adamo commisso: imò destruit omne tale fundamentum. Nam primò idem Apostolus Rom. 3. *Iustitia DEI*, inquit, *per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt, & egent gloria DEI*, hoc est, interprete D. August. l. 2. hypogr. gratià justificationis. Et c. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ubi Apostolus negat esse faciendam distinctionem & exceptionem à necessitate salutis, & justificationis accipiendæ per fidem in Christum: eò quòd omnes peccaverint: ergo cum B. V. non excipiatur ab universalitate eorum, qui justificari debent per fidem in Christum, pariter non debet excipi ab universalitate eorum, qui peccaverunt in Adamo: cum aliàs causalis Apostoli non subsisteret. Rursus sicut in priori textu Apostolus conjungit universalitatem salvandorum per fidem in Christum cum universalitate peccantium, sic in secundò conjungit universalitatem morientium, cum universalitate eorum, qui peccaverunt. Unde sicuti nullum est fundamentum excipiendi Beatissimam Virginiam ab universalitate morientium, cum actu subierit mortem, ita neque ab universalitate eorum, qui in Adamo peccaverunt.

Secundò. Eodem c. 5. eadem omnino extensione & universalitate comprehendit peccatores in Adamo, & justificatos per Christum, in situatà comparatione inter meritum Christi, & peccatum Adami: *Sicut*, inquit, *per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem*: ergo sicuti B. V. non potest excipi ab universalitate secundæ propositionis, ita nec primæ.

Tertiò I. Corinth. 15. *Per hominem*, inquit, *mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Ubi Apostolus de omnibus, qui in Christo sunt resurrecturi, eadem extensione & universalitate in Adamo per peccatum mortuos esse affirmat.

10. Contrà est secundò: quòd in SS. Scripturarum expositione standum est communi doctrinà, & sensu SS. PP. sed isti ab universalitate Apostolicæ doctrinæ de peccato & morte in Adamo so-

lum Christum excipiunt, imò expressè B. V. comprehendunt: ergo B. V. non potest excipi à debito proximo contrahendi peccatum originale. Minor probatur. Nam D. Augustinus exponens textum Apostoli proximè allegatum l. 6. cont. Julianum c. 12. *Omnes ergo*, inquit, *ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum; quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur, id est, ex prima origine generis humani nemo ad mortem, nisi per Adam, & nemo per Adam, nisi ad mortem: & nemo ad vitam, nisi per Christum, & nemo per Christum nisi ad vitam*: ergo sicuti Christus omnibus se regnandis est causa vitæ; sic Adamus omnibus ex suo semine generandis fuit causa mortis. Hac ipsum colligit præfatus S. Pater ex consequentiâ, quam habet Apostolus 2. Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Nam l. 20. de Civit. c. 6. ita exponit: *Omnes mortui sunt in peccato, nemine profusus excepti.* Et loco cit. c. 1. *Per hoc unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, ostendens fieri non potuisse ut moreretur, nisi pro mortuis.* Ex hoc enim probavit omnes esse mortuos, quia pro omnibus mortuus est unus. Vide, quia consequens esse voluit; ut intelligatur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est, &c.

Idem D. August. sup. psal. 34. conc. 2. ad illa: *Ego autem cum mihi molesti essent &c.* ita loquitur. *MARIA ex Adam mortua propter peccatum Adæ, Adam mortuus propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua est propter delicta peccata.* Unde

Probatur secundò nostra conclusio. Si B. Virgo caruisset debito proximo, tunc fuisset immunitas à morte, neque caro ipsius fuisset ex propagatione peccati: consequens est absurdum & repugnat dictis SS. PP.: ergo & antecedens. Sequela quoad primum membrum probatur ex D. Augustino tum in textu primò adducto, ubi dicit, *Mariam mortuam propter peccatum Adæ*, tum in l. 4. cont. 2. epistolâ Pelagii c. 4. *Pro mortem sine meritis mortis de uno solo Mediatore DEI & hominum homine Christo JESU Catholica fides novit.* Et l. 2. de pecc. merit. c. 35. *Tenuimus indeclinabilem fidei confessionem: solus unus est, qui sine peccato mortuus est pro nostra peccata*: ergo juxta D. Augustinum præter unicum mediatorem Christum omnes alii, quicumque mortem subeunt, illam subeunt ex meritis mortis. Et quomodo ex meritis, nisi ex peccato Adami car. quam causa demeritoria? adeòque & B. Virgo comprehensa erat in ista causa demeritoria mortis.

Quoad secundum membrum probatur eadem sequela, quia ex nulla alia ratione potest dici caro esse ex propagatione peccati, nisi quia generatur virtute seminis corrupti, & privati vigore propagandi justitiam originalem, vel quia generatio trahit secum inquinamentum peccati, nisi divinitus impediatur: atqui ista privatio dependet à peccato Adami tanquam causa morali: ergo sublato influxu morali ex peccato Adami, consistit in sententia negante debitum proximum, consequens est, ut etiam caro non generetur ex propagatione peccati. Minor principalis quoad mortem



mortem est certa: quoad propagationem probatur pariter auctoritate D. Augustini l. 10. de Gen. ad litter. c. 18. ubi ait: *Quid coinquatus illo uero Virginis, cuius caro NB, etiam si de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagatione concepit.* Et S. Fulg. l. de Inc. Chr. c. 6. *Hec est gratia, quâ factum est, ut DEUS, qui venerat peccata tollere, homo conciperetur, atque nasceretur in similitudine carnis peccati de carne peccati. Caro quippe MARIÆ, que in iniquitatibus fuerat humanâ solemnitate concepta, caro fuit utique peccati, quæ Filium DEI genuit in similitudinem carnis peccati.*

12. Roboratur prædictum argumentum primò: Exceptio alicujus à lege communi firmat regulam in contrarium, præcluditque locum, ne quis alius intelligatur exceptus; ut est receptum juris principium l. *quæsitum* 12. §. *idem respondit. L. cum de lanionis* 17. §. *si quis fundum. ff. de fundo instructo. L. ex eo* 18. ff. *de testibus.* Cùm ergo SS. PP. solum Christum excipiant à communi lege peccati, eumque solum immunem asserant ab omni debito peccati, manifestum est, neminem alium ab ipsis excipi.

Secundò. Ratio, cur SS. PP. Christum excipiunt à debito omnis peccati, est, quia solus ille virtute Spiritus S. de Virg. MARIA conceptus est absque seminali propagatione ex Adamo: ita sensisse D. Ambrosium testis est ipsemet S. Augustinus l. 2. contr. Julianum c. 9. *Dicit beatus Ambrosius, unum solum hominem mediatorem DEI & hominum, NB. eo quod sit natus ex Virgine, nec senserit nascendo peccatum, generationis obnoxia vinculis non teneri.* Qui S. P. Augustinus l. 1. de nupt. & concupisc. eadem habet. *Sine carnis concupiscentia nasci voluit, qui futurus erat sine peccato: ut hinc etiam doceret, omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati: NB. quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* Et S. Leo serm. 5. de Nativit. *Cùm sola conditio nascendi in cunctis esset ratio peccandi, solus inter filios hominum Dominus JESUS innocens natus est, quia solus sine carnis concupiscentia pollutione conceptus est.* Jam verò ad eos tantum exceptio à regula communi pertinet, quos causa & ratio exceptionis comprehendit: atqui hæc solum Christum, non B. Virginem comprehendit, ut certum est: ergo exceptio ad B. V. extendi non debet.

13. Probatur tertio. Si B. Virgo fuisset exempta à proximo debito peccati originalis, in virtute pacti conditionati ipsam eximentis & excipientis si Christus sua merita offerret, tunc Christus fuisset prævisus ante lapsum Adam: sed non fuit prævisus, aliâ contra expressam doctrinam Doct. Angelici, contra Script. quoque & PP. auctoritates, Christus venisset, etiam si Adam non peccasset, prout ex instituto disputabitur in Tract. de Incarnatione: ergo non potest dici, B. V. fuisset exemptam à debito proximo culpæ originalis.

14. Probatur quartò. Si B. Virgo non habuisset debitum proximum, non fuisset propriè redempta à Christo: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur. Tunc non fuit propriè redempta, quando non comprehendebatur sub ob-

jecto & materia redemptionis: sed si non habuisset debitum proximum, non fuisset comprehensa sub objecto & materia redemptionis: ergo. Minor probatur: Objectum & materia redemptionis est peccatum Adam tanquam peccatum totius naturæ, seu tanquam inducens reatum, & debitum ut singuli ex ipso nascituri concipiatur cum privatione originalis justitiæ: sed B. V. non fuisset comprehensa sub hoc debito & reatu: ergo non fuisset comprehensa sub objecto & materia redemptionis.

Respondent, B. Virginem non fuisse quidem 15. comprehensam sub objecto redemptionis absolute, bene tamen conditionatè, sub conditione nimirum, nisi Christus in posteriori naturæ pro ipsa sua merita offerret.

Sed contra est primò: quòd ista conditio supponit prævisionem Christi ante lapsum Adam, quòd dici non potest.

Contra est secundò: quòd ipsa oblatio meritorum Christi habeat pro objecto naturam habentem reatum incurrendi & contrahendi labem peccati originalis. Unde hæc exceptio à generali pacto sub conditione, si Christus sua merita obtulerit, evertit seipsam, cùm illa oblatio sit pro iis, qui sub generali pacto absolute continebantur.

Contra est tertio: quòd istius conditionati pacti nullum prorsus est fundamentum in S. Script. & PP. bene autem in contrarium, ut latè ostendimus, & mox ulterius deducemus.

Contra est quartò. Possimum fundamentum B. Virginem eximentis ab originali peccato, actu contracto, literaliter indicatum in S. Scr. est Genes. 3. ubi DEUS ad Serpentem dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ipsa conteret caput tuum:* atqui hoc decretum Divinum præsupponit lapsum Adam, adeoque & pactum cum ipso initum: nam pro causali DEUS præmisit: *quia fecisti hanc rem, hoc est, quia mediante Eva seduxisti Adamum, & in ipso totum genus humanum.*

Probatur quintò: Tunc Beatissima Virgo habuit proximum debitum peccati originalis, quando in primo instanti suæ conceptionis fuisset obnoxia peccato, nisi præservata fuisset per gratiam: sed fuisset: ergo. Minor probatur. Posito, quòd DEUS Beatissimæ Virgini in primo instanti conceptionis non contulisset gratiam impeditivam peccati, vel habuisset puram negationem gratiæ, vel privationem ipsius? Non secundum, quia hoc ipso habuisset debitum incurrendi privationem, adeoque & culpam originale. Non primum, quia sic fuisset in statu puræ naturæ, quemadmodum fuisset Adamus, vel Angelus, si fuissent sine gratia: sed hoc admitti non potest: primò, quia hoc est contra legem & providentiam DEI ordinariam, humanam naturam elevantis in finem supernaturalem. Secundò: quia hac ratione gratia B. Virgini in primo instanti collata non esset redemptiva & præservativa; quemadmodum nec gratia Adamo innocenti & angelo collata est talis, hoc ipso, quia non impedit sui privationem & culpam, sed simplicem negationem.

Tertio: quia carentia formæ unâ cum debito habendi



habendi illam formam est privatio: sed absentia gratiæ in hoc casu in B. V. fuisse conjuncta cum debito habendi illam formam, siquidem hoc debitum pertinet ad perfectionem naturæ elevatae; cujus utique pars fuit B. V. nec est ullum fundamentum ab illo B. V. excludendi. Quarto: quia aliàs Virgo non fuisset à peccato præservata per gratiam, quæ ipsi fuit data in instanti suæ conceptionis; quia etiam illa non fuisset data, tamen non fuisset concepta in peccato, sed in puris naturalibus.

17. Respondent in illo casu, quo DEUS in primo instanti animationis gratiam redemptivam animæ B. V. non infudisset, habituram fuisse privationem gratiæ, & culpam originalem, quia tunc necessariò deberet supponi, quòd Christi mors & passio pro B. V. exemptionem non fuissent oblatae, & acceptatae, adeòque fuisset comprehensa in pacto etiam quoad partem odiosam, & consequenter etiam in peccato Adami.
18. Verùm contra hanc responsionem multa militant. Contrà enim est primò: Vel oblatio meritorum mortis, & passionis Christi debuisset fieri ante, vel post prævisum Adami peccatum. Si ante, tunc Christus etiam ut passibilis venisset Adamo non peccante: siquidem prævisio passionis fuisset independens à prævisione peccati, quòd nec Adversarij concesserint; si post, tunc sequeretur, quòd Christus fuisset author peccati originalis in Beatissima Virgine, si noluisse pro ejus exemptione offerre sua merita: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur: Illa culpa originalis causaretur & resularet moraliter, vel ex vi primi peccati Adami ceu capitis, vel ex vi denegatae exemptionis? Non ex vi primi peccati: quia illius moralis influxus & denominatio tantùm illos tangebatur, respectu quorù Adamus erat caput morale; non autem erat caput morale; respectu Beatissimæ V. saltem quoad partem odiosam, dum actu peccaret, sed neque finito actu peccati, ubi Adam jam desinit esse caput morale pro tota posteritate; ergo si denegato beneficio exemptionis in posteriori instanti B. Virgo contraxisset culpam originalem, illa adscribenda foret ei, per quem stetit, ut conditio in pacto inclusa non impleteretur: sed ex parte Christi stetit, quòd minùs poneretur conditio exemptionis inclusa in pacto: ergo ipsi tanquam causa fuisset adscribenda culpa originalis: sicuti, si, Titio hærede instituto sub conditione si Cajus consenserit, Cajus consensum denegaret, eidem ceu causæ adscriberetur denegatio hæreditatis: & tunc haberet locum illud axioma: Sicut affirmatio est causa affirmationis, sic negatio est causa negationis.
19. Contrà est secundò: quòd istud pactum conditionatum, *Volo ut sis caput morale omnium posterorum excepta hæc determinatà personà, si pro illa Christus merita suæ passionis obtulerit*, sit absque fundamento Script. & PP. qui nullam faciunt distinctionem inter caput naturale, & morale gratis excogitatum, imò impossibile. Cujus ratio est primò: quia, ut priùs dicebamus, oblatio meritorum Christi habet pro objecto illos, qui in Adamo peccaverunt; non enim est opus valentibus medicus, sed male habentibus: sed B. V. in Adamo non peccasset.

Secundò: quia formalis & privativus effectus peccati ab Adamo commissi debuisset manere suspensus respectu B. Virginis, usque dum impleteretur conditio oblationis meritorum Christi, ita, ut hæc posità non esset comprehensa moraliter sub peccato Adami, illà non posità esset comprehensa, quòd rursus est impossibile; sicut enim moralis intrinseca denominatio peccatis immediatè consequitur, & afficit personam Adami, sic etiam extrinsecè afficit naturam in Adamo contentam, cum sit impossibile, ut possit ab alia, quàm Adami voluntate dependere.

Tertiò: quia, ut priùs dictum, hoc pactum conditionatum faceret Christum auctorem peccati, nam in pacto conditionatis, in quibus conditio dependet ab alia, quàm pacificentis voluntate, non sequitur effectus, nisi dependenter ab illius voluntate, qui potest ponere & impleere conditionem, uti ostensum in priori exemplo; cum ergo pactum cum Adamo initum de transfusione peccati esset conditionatum, nisi videlicet Christus offerret sua merita, quæ conditio utique non dependebat ab Adami voluntate, sed Christi: etiam transfusio peccati in casu, quo Christus denegaret oblationem meritorum, esset adscribenda voluntati Christi, quòd implicat. Imò verò transfusio peccati non fuit objectum Dei pacificentis cum Adamo, cum sit impossibile, illam esse objectum voluntatis positivæ: qualis est decretum de transfusione justitiæ, sed tantùm potuerit ex hypothesi, quòd DEUS Adamum constituerit caput totius naturæ, etiam in ordine ad transfundendam justitiam originalem, per Adami voluntatem, justitiam peccando destruentis, indirectè causari: quæ igitur ratio potuit DEUS partem odiosam in pacto secretè à parte favorabili, ut deberet, vel non deberet incurrere peccatum, prout Christus sua merita pro B. V. vellet, vel non vellet offerre? Exempla ad adversarij perita è rebus humanis non sunt ad rem, cum [omissis aliis differentiis] procedant de suspensione alicujus effectus poenalis, de quo debito illius; non autem de suspensione, vel debito culpa.

Probatur sextò. Si Adam non peccasset, B. V. habuisset jus in sua conceptione accipiendi justitiam originalem, & nascendi ex semine non corrupto, immunitatem quoque à morbis, miseriis & morte; ergo ex eo, quòd Adam peccaverit, B. V. habuit debitum contrahendi culpam originalem. Consequentia probatur: Sicuti jus habendi justitiam originalem nihil est aliud, quàm denominatio extrinseca proveniens à justitia originali & modo naturali descendendi ex radice & semine instructo vigore justitiæ originalis: ita debitum proximum nihil aliud est, quàm denominatio extrinseca proveniens à peccato Adami, & modo naturali descendendi ex Adami radice infecta, & semine corrupto: nec aliunde magis SS. PP. colligunt necessitatem contrahendi peccatum originale: sed hæc forma denominationis reperitur non minùs respectu B. V. quàm aliorum hominum, quæ modo naturali sui genita extrinseca infecta, & vera filia Adami, ideoque dicitur rola ex spinis orta, sed sine spina.

Confirmatur. Si B. V. nullo modo fuisset

du con-



Aut comprehensa sub lege communi & pacto quoad partem odiosam de transfusione malitiæ, non propriè ex privilegio fuisse liberata ab originali, siquidem privilegium quo aliquis eximitur à lege, supponit ipsum prius contentum sub lege. Sed neque esset ratio, cur B. V. subiaceret morti, & corporis passibilitati, siquidem isti sunt effectus ex illa lege & Adami peccato consecuti, excepto Christo Domino, quem solum SS. PP. excipiunt, ut ex SS. PP. antea ostendimus.

## §. IV.

*Solvuntur rationes sententia opposita.*

21. **A**D primum prioris sententia fundamentum Respondeo. Legem de transfusione peccati non fuisse latam pro B. V. quantum ad executionem, & ex vi privilegii derogantis universalitati legis, fuisse verò latam pro omnibus, & sic etiam pro B. V. quantum ad vim obligatoriam legis. Aliàs potius deberet dici, non pro te, sed pro ceteris, quam pro omnibus, hæc lex constituta est. Adde, quod dispensatio & privilegium supponit personam contineri sub lege: cum ergo B. V. indigerit privilegio & dispensatione, etiam contineri debuit sub lege de transfusione peccati.
22. **A**D 2. Respondeo, PP. allegatos non loqui de peccato Adami extrinsecè denominante, & de debito peccati, sed de ipso peccato originali intrinsecè contracto, quod ex aliis plurimis ipsorum testimoniis est compertum.
23. **A**D 3. Respondeo, negando antecedens quoad utrumque membrum: quoad primum quidem, quia B. Virginem maximè decet, ut habeat suam sanctitatem dependentem à perfecta redemptione, morte & sanguine Christi, quæ dependentia difficilè salvatur in contraria opinione. Præterea ea, quæ decet juxta præsentem DEI legem, ex fundamento S. Script. & PP. colligi debent, sed sicuti nullum est fundamentum ex prædictis afferendi, quòd B. Virginem deceret esse immortalem, & impassibilem, ita nullum est fundamentum grave affirmandi, quòd caruerit debito proximo. Quoad alterum quoque membrum: quia quamvis absolute DEI S. potuisset tale decretum facere, tamen supposito ordine præsentis providentiæ id non potuit, prout ex probationibus constare potest. Quod de fomite peccati additur, magnam habet disparitatem: nam is intrinsecè inheret supposito, & propter vehementem inclinationem in objectum illicitum, ac rebellionem cum spiritu, magnam importat indecentiam; at illud debitum & necessitas peccati originalis tantum extrinsecè denominat, & quia tollitur per gratiam præservantem, nullo modo actualiter inheret supposito.

Ad confirmationem primam, nego antecedens: quia veniale peccatum est vera labes & macula intrinsecè efficiens, & à propria voluntate intrinsecè dependens: debitum verò peccati, quod etiam peccatum in Adamo dicitur, est tantum denominatio extrinsecè ab aliena voluntate, & non nisi extrinsecè nostrâ, dependens: non autem propriè est labes, vel macula, quæ actu inficit, sed tantum quæ deberet inficere, nec potest dici, quòd sit defectus moralis: quia peccato originali nullus defectus moralis præsupponi potest. Unde ad summum dici potest defectus naturalis, ut est, nasci ex parentibus perduellibus, qualis nihil obest sanctitati perfectæ Virg. B. siquidem reverà nata fuit ex radice infecta. Sed neque gloria Filii potest obscurare gloriam Matris: pertinet autem ad gloriam Filii, quòd Beatissima Virgo esset sanctificata per redemptionem perfectam, quæ sine debito proximo salvari commode non potest.

**A**D 3. Respondeo: Dicere B. V. fuisse peccatricem, immundam &c. ideo esse offensivum piarum aurium, quia principaliter significatur per ejusmodi terminos, quòd intrinsecè in se ipsa & actu fuerit maculata &c. quod minime significatur, cum dicitur in Adamo peccasse, vel contraxisse debitum peccati originalis.

**A**D 3. confirmationem Respondeo, haberi ex hucusque disputatis fundamentum cum proprietate verborum Scripturas & dicta SS. PP. de peccato loquentium exponendi de peccato in Adamo, in debito, & in potentia, negandi verò de peccato intrinsecè & actualiter contracto. Contra nullum, vel exiguum esse fundamentum negandi hoc debitum, & omnia exponendi de debito solum remoto, quod non est nisi æquivocè debitum, & potius esset, quàm est, debitum, si Christus sua merita non obtulisset. Adde ex Salmanticensibus, longè meliùs consuli B. V. honori, si illius immaculata Conceptio probetur & confirmetur salvâ dependentiâ à beneficio redemptionis & autoritate S. Script. ac SS. PP. quàm si novitius inventis exigua vel nullâ autoritate munitis fulciatur: prout Sapientissimus Theologus Franciscus Suar. to. 1. in j. 2. tract. 5. disp. 9. sect. 4. apud Salmanticenses l. cit. dub. 5. n. 183. sese super hoc puncto consulentibus rescripsit his verbis: *Addo, quemlibet prudentem Theologum Domina nostra affectum debere non inclinare ad illud extremum [quòd nempe caruerit debito proximo] quoniam ad honorem Virginis nihil refert, neque Immaculatæ Conceptionis Veritatem juvat, præbetq. Adversariis occasionem dicendi, non posse nos Immaculatam Conceptionem defendere, nisi declinando ad opiniones, vel censurâ dignas, vel diminuentes Christi redemptionem.* Hæc ille.

## DISPUTATIO XXX.

DE

## Effectibus peccati originalis ad q. 85.

**C**Ausarum genus omne, quod ad peccatum originale concurrat, discussimus: superest, ut ejus quoque effectus dispiciamus, quorum alii sunt spirituales, alii corporales; ut enim ait Tridentinum Sess. 5. can. 1. *Totus Adam per sua pravationis offensam secundum corpus & animam in deterius est commutatus.*



## ARTICULUS I.

## Quinam sint effectus peccati originalis?

## SUMMARI A.

1. Mors, & defectus corporales sunt effectus peccati originalis.
2. Objectiones solvuntur.
3. Inter effectus originalis peccati est diminutio boni natura.
4. Et 4. vulnera anima.
5. At non ablatio proprii arbitrii.

## §. I.

Effectus & defectus peccati originalis ex parte corporis.

1. **CONCLUSIO PRIMA.** Mors, aliq, defectus corporales sunt effectus peccati originalis tanquam per accidens causati. Ita Cathol. DD. cum S. D. hic q. 85. a. 5. & habetur in Tridentino sess. 5. [post definitiones Concil. Milevit. & Arausiaci] dicente: *Primum parentem peccando in se & in omnem suam posteritatem mortem intromississe. Constat etiam ex Rom. 5. Per unum hominem peccatum intravit, & per peccatum mors.*

Ratio est. Quod causat aliquem effectum removendo prohibens, dicitur causa per accidens; sed peccatum originale causat mortem, aliasque corporales miseriae per remotionem doni integritatis & iustitiae originalis, per quod illa fuissent impeditae; ergo.

2. Dices primò. Mors est homini naturalis, quippe conveniens ex ratione materiae, & pugna primarum qualitatatum: ergo non est effectus peccati originalis.

Secundò. Sublatà causà tollitur effectus: sed sublato peccato originali per baptilmum, non ideo tollitur necessitas moriendi, aliaque miseriae corporales: ergo istae non sunt effectus peccati originalis.

Tertiò. Si peccatum originale esset causa corporaliu miseriae, istae deberent esse aequales in omnibus hominibus, sicuti peccatum originale est aequale in omnibus, aequalis enim causa parit aequalem effectum: sed consequens est contra experientiam: ergo & antecedens.

3. Respondeo ad 1. distinguendo consequens: ergo non est effectus per se, concedo; per accidens, nego. Nam licet defectus corporales conveniant homini secundum conditionem & dispositionem naturae; hae ipsa tamen dispositio fuisset impedita per donum integritatis, quod per peccatum originale removetur; sicuti cum à lapide removetur impedimentum, quo detinebatur, ne secundum connaturalem gravitatem deorsum caderet.

Ad 2. distingo majorem: Sublatà causà tollitur effectus, si ab illa causa per se & unice dependeat tam in fieri, quam consummari, concedo; secus, nego majorem: sed miseriae corporales à peccato dependent tanquam à causa per accidens tantum, per se verò à conflictu primarum qualitatatum, quae amissa iustitià originali non habent illud temperamentum, quo in aequalitate confer-

ventur, neque illud adjuvium, quo ab extrinseco agente protegantur.

Similiter ad 3. Respondeo: si peccatum originale esset causa per se, concedo; si per accidens, nego sequelam: tunc enim inaequalitas miseriae provenit per se ex inaequali dispositione corporum, quemadmodum remoto impedimento unus lapis per se citius altero deorsum voluitur ob intrinsecam inaequalitatem gravitatis,


## §. II.

Effectus peccati originalis ex parte animae.

1. **CONCLUSIO SECUNDA.** Per peccatum à primi parentis diminuitur bonum natura, & insiguntur quatuor vulnera animae, videlicet ignorantia, malitia, infirmitas, & concupiscentia. S. D. q. 85. a. 1. & 3. Ratio 1. p. est: quod donum iustitiae originalis maximum fuit bonum & perfectio totius naturae humanae: sed hoc fuit ablatum per peccatum primi parentis: ergo.

Secunda pars constat in primis ex Evangelica parabola hominis descendens in Jericho, Luc. 10. qui dicitur acceptis vulneribus relictus semivivus; sub qua parabola SS. PP. intellegunt humanam naturam per primi parentis peccatum sauciata, prout latius exponitur in Tract. de grat. Ratio ex S. D. est: quia vulneratio animae dicitur destitutio & privatio debiti ordinis, quem deberent habere vires animae, & quem habuerunt virtute iustitiae originalis: sed ejusmodi destitutio ordinis est quadruplex. Tot enim sunt destituciones ordinis, quot sunt vires seu potentiae animae, quae possunt esse subiecta virtutum, adeoque ordinabiles in bonum rationis: sed ejusmodi potentiae sunt quatuor: Ratio, in qua est prudentia, per quam ordinatur ad verum; Voluntas, in qua est iustitia; Irascibilis, in qua est fortitudo; Concupiscentia, in qua est temperantia: ergo tot sunt quoque deordinationes & vulnera animae. Et sic primò in ratione est vulnus ignorantiae, in quantum destituitur debito ordine ad verum; in voluntate est vulnus malitiae, in quantum destituitur ordine ad bonum; vulnus infirmitatis in irascibili, in quantum destituitur suo ordine ad arduum; & in quantum concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, sic in ipsa est vulnus concupiscentiae.

Ex quo tamen non sequitur, quod affirmant Novatores haeretici, liberum arbitrium peccato Adami fuisse sublatum; cum enim anima rationalis tam secundum se, quam secundum suas potentias sit spiritualis & immutabilis, ideo quoad liberi arbitrii, hoc est, voluntatis indifferentis substantiam corrumpti non potuit. Sed neque amplius esset locus vel bonis & meritoris, vel malis & peccaminosis operibus, si liberum arbitrium interisset, quod est haereticum.





## ARTICULUS II.

## Quas penas causet originale peccatum post mortem?

## SUMMARI A.

1. Peccatum originale causat penam damni.
2. Parvuli in peccato originali decedentes non patiuntur beatitudine naturali.
3. Probatur auctoritate & ratione.
4. *Iidem non patiuntur penam sensus.*
5. Probatur auctoritate & ratione.
6. Explicantur Scripturae in oppositum adductae.
7. Disparitas de penis huius & alterius vite.
8. Ratio, cur infantes potius penam damni, quam sensus patiantur.
9. Originale conjunctionum actuali causat maiorem penam intensivè.
10. Alligatio ad limbum non est pena sensus.
11. Parvuli propter penam damni non patiuntur tristitiam.
12. Quis futurus status Angelorum post extremum iudicium?

## §. I.

An pena damni sit effectus peccati originalis?

1. **CONCLUSIO PRIMA.** *Penam damni est effectus peccati originalis. Est de fide ex definitione Tridentini Sess. 5. can. 4. & 5. de pecc. orig. dicente, quod parvuli sine baptismo morientes in penam peccati originalis priventur vitâ aeternâ. Et Jo. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum DEI. Sed privari vitâ aeternâ, & non posse introire in regnum DEI, est ipsa pena damni: ergo.*
2. Inferes ex dictis contra singularem opinionem Ambrosii Catherini, Parvulos absque baptismo mortuos non fore beatitudine naturali, ut sentit communis Catholicorum DD.

Constat in primis ex auctoritate. Nam primò in Florentino definitur, illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel in solo originali decedunt, mox in infernum descendere, penis tamen imparibus puniendas. Secundò D. Aug. l. 1. de pecc. merit. c. 16. de illis parvulis; *Mul-tum, inquit, fallit & fallitur, qui eos in condemnatione predicat non futuros, dicente Apostolo, iudicium ex uno delicto in condemnationem, &c.* Tertio D. Anselmus de Concept. Virg. c. 27. *Si originale peccatum est aliquod peccatum, necesse est, omnem hominem in eo natum, in illo non dimisso damnari, quæ omnia cum beatitudine naturali repugnant.* Unde

3. Ratio corollarii est primò. Beatitudo naturalis non stat cum averfione habituali ab ultimo fine naturali: sed parvuli per originale peccatum sunt habitualiter averfi ab ultimo fine naturali: non enim potuit Adamus per mortale peccatum efficaciter averfi à DEO ut ultimo fine supernaturali, quin simul averteretur ab illo ut ultimo fine naturali: ergo.

Secundò. Cùm Beatitudo naturalis sit status omnium bonorum naturalium aggregatione perfectus, non comparitur secum ullam miseriam

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

naturalem: atqui infantes absque baptismo mortui habent aliquam miseriam, & infelicitatem; nimirum detentionem in limbo subterraneo tenebroso, qui etiam infernus dicitur, & nequaquam convenit cum naturali felicitate: ergo non possunt habere beatitudinem naturalem. Minor habetur primò in Florentino primùm citato, & S. Anselmo l. c. c. 22. dicente: *Post diem iudicii nullus erit Angelus, aut homo, nisi aut in regno DEI, aut in inferno.* Et probatur ulterius ratione; tum quia non est ratio, cur post iudicium universale debeant habere alium locum, quam obtinuerint in iudicio particulari: sed in hoc obtinuerunt limbum subterraneum: ergo. Tum quia secundum communem sententiam post universale iudicium omnia elementa reducuntur ad suum situm naturalem; sicque terra undequaque erit aquis cooperta; ita ut nullus ibi relinquatur locus humanæ habitationi; adedque cùm infantes in caelo non sint futuri, neque locum habituri in terris, nec utique instar piscium in aquis nataturi, eundem habebunt locum, quem nunc habent, nimirum limbum subterraneum. Sed nunc ad aliam opinionem discutendam priori à diametro oppositam sit

## §. II.

An parvuli sine baptismo mortui patiantur penam sensus?

Affirmativam tenent Gregor. Armin, in 2. d. 30. Driedo l. 1. de grat. co. 3. c. 2. Sylvius hic q. 85. a. 6. quæsit. 2. oppositam tenent communiter Thomistæ, aliique DD. cum quibus

**CONCLUSIO** est *negativa, & manifesta* S. Doctoris in 3. dist. 22. q. 2. a. 1. ad quæst. 2. ubi distinguens infernum in 4. partes, quarum una est infernus damnatorum, altera limbus puerorum, tertia purgatorium, quarta limbus PP. De secunda parte sic dicit: *Alius est infernus supra istum [nempe infernum damnatorum] in quo sunt tenebra, & propter carentiam Divinae visionis, & propter carentiam gratiæ; sed non est ibi pena sensibilis, & dicitur limbus puerorum.*

Probatur primò ex c. maiorem, extra de baptismo, ubi Innocentius III. dicit: *Penam originalis peccati est carentia visionis DEI: actualis vero peccati pena, gehenna perpetua cruciatus.* Ubi frustra foret utriusque penæ contradistinctio, nisi Summ. Pontifex in priori membro divisionis carentiam visionis accepisset cum exclusione cruciatus; siquidem & pena peccati actualis non solum gehennæ cruciatus, sed etiam carentiam visionis includit. Item S. Gregor. Nazianz. orat. 40. dicit: *Parvulos decedentes sine baptismo, nec gloriam, nec supplicia habituros.* Gregor. Nyll. orat. de infant. *Immatura mors infantium demonstrat, neque in doloribus & mæstitia futuros esse eos, qui sic vivere desierunt.* Et D. Bernard. serm. 3. de resurrect. *Tolle propriam voluntatem,*

Na

& non



*& non erit infernus; nihil ardebit in inferno propter propriam voluntatem: Sublumo: Sed infantes in originali peccato mortui nunquam habuerunt propriam voluntatem: ergo non ardebunt in inferno.*

Probatur secundò ratione. Pœna, quæ videtur notabiliter esse improporcionata pro peccato originali, non debet adstrui, nisi ex S. Script. PP, & DD. consensu evidenter colligi posse videatur: sed ex S. Script. PP, & DD. consensu potius contrarium colligitur, quàm quòd parvuli puniuntur pœnâ sensûs, eaque pœna videtur esse notabiliter improporcionata pro peccato originali: ergo non debet adstrui.

Minor quoad 1. p. patet in primis ex autoritatibus præmissis, & consensu ferè omnium Theologorum, qui à 500. annis scripserunt, & ampliùs patebit ex solutione objectionum: quoad secundam quoque partem probatur primò: quia pœna sensûs est passio & cruciatus personalis; peccatum verò originale non est peccatum personæ, sed potius naturæ.

Secundò: quia pœna sensûs infligitur propter inordinatam conversionem ad bonum commutabile, quâ quis propriâ voluntate suam commodum, aut delectationem in bono creato peccando quæsit, juxta illud Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum:* sed hoc non reperitur in peccato originali: ergo.

Tertiò. Unde aliquis non redditur dignus vituperio, & reprehensione, inde etiam non redditur dignus pœnâ positivâ cruciatûs infligendi: sed ex peccato originali præcisè nemo redditur dignus vituperio & reprehensione, quòd adeò cuique notum existimat D. Augustinus l. de 2. animabus c. 11. ut dicat, quòd illud *decantent & in montibus pastores, & in theatris poëta, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, &c.* ergo etiam ex solo peccato originali nemo fit dignus pœnâ positivâ sensûs.

Quartò. Pœna sensûs est effectus reprobationis positivæ: sed hæc præsupponit prævisionem peccati proprii personalis, prout dictum in Tract. de prædestinat. ergo etiam pœna sensûs illam præsupponit.

### §. III.

#### *Solvuntur objectiones.*

6. **O**bjicies primò. Matth. 25. ad omnes, qui in ultimo judicio futuri sunt à sinistris, dicitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Sed ibi intelligitur pœna sensûs, & decedentes in originali non erunt à dextris: ergo à sinistris.

Confirmatur primò ex Apoc. 20. ubi dicitur, quòd, *qui non est inventus in libro vitæ, missus est in stagnum ignis.* Sed non baptizati infantes non sunt inscripti in libro vitæ: ergo mittuntur in stagnum ignis, hoc est, tormentum gehennæ.

Confirmatur 2. Scriptura dicit, nos ratione peccati originalis nasci *filios iræ*; adeò que parvuli sine baptismo mortui sunt filii iræ: sed ira DEI nihil aliud est, quàm pœna damnationis æternæ: ergo.

Respondeo primò: Ibi principaliter esse ser-

monem de adultis. Unde ad illos, qui à dextris sunt, præmittitur: *Esurivi & dedistis mihi manducare;* ad illos verò, qui à sinistris sunt: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare:* quæ opera non nisi ad adultos pertinere possunt. Nihilominus cum etiam non adulti in extremo judicio sint comparituri juxta generalem modum loquendi, qui habetur eodem capite: *Cum venerit Filius hominis in Majestate sua, congregabuntur ante eum omnes gentes.* Et 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi,* &c. circo

Responderi potest secundò ad mentem S. D. q. 5. de malo. a. 2. ad 1. nomine ignis intelligi etiam pœnam damni; cum sapius in S. Script. nomine ignis qualibet pœna significari solet. Ut psal. 65. *Transivimus per ignem & aquam &c.* quo modo etiam exponendus est textus D. Fulgentii relatus in can. *firmissime* de consecr. dist. 4. *Firmissime crede, & nullatenus dubites, non solum homines ratione utentes, verum etiam parvulos, & sine sacramento baptisimi de hoc saculo transirentes, ignis æterni supplicio puniendos.* Quem textum modò prædictò exponit glossa *in e. nulla*, de consecr. dist. 4. dicens: *& hæc caremia [nempe visionis DEI] est pœna ignis, de qua intelligendus est canon firmissime de sumptibus ex Fulgentio.*

Ad 1. confirmationem Respondeo. Illomolcum manifestè loqui de adultis, siquidem præmittit illa verba: *& indicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum &c.* constat autem, quòd nulla sint opera parvulorum. Nec refert, quòd dicat Apostolus, *se vidisse magnos & pusillos*, nam, ut exponit Cornel. à Lapide, illic non intelliguntur ætate & statura, sed gradu & dignitate pusilli.

Ad 2. confirmationem Respondeo, iram DEI non tantum significari & ostendi in inflictione pœnæ sensibilis, sed etiam in æterna exclusionè à regno cœlesti, ex qua parvuli sufficienter appellari possunt filii iræ.

Objic. 2. Parvuli in hac vita patiuntur pœnam sensûs, consistentem in morte, miseriis & morbis corporalibus: ergo etiam non est ablitandum, ut in altera vita pœnam sensûs patientes aliàs post mortem essent melioris conditionis, quàm ante mortem.

Respondeo: Patiuntur hanc pœnam tanquam per accidens causatam ad subtractionem dominionis seu justitiæ originalis, concedo; per se, nego antecedens & consequentiam: nam in altera vita, ubi cessat virtus agentium naturalium, pœna sensûs ex ordinatione Divina per se deberet infligi. Nec ideo essent melioris conditionis in altera vita, quia præstat infinites suffragia præsentis miseriæ cum capacitate vilissimè beatificæ, quàm iisdem carere cum visiois beatificæ incapacitate in æternum.

Objicitur tertiò. Major est pœna damni secundum communem Theologorum, quàm pœna sensûs: ergo si parvuli propter originale peccatum puniuntur graviore pœnâ damni, etiam puniuntur pœnâ sensûs, quæ levior est.

Confirmatur. Propter veniale peccatum quòd multò levius est, quàm originale, infligitur pœna sensûs in altera vita: ergo etiam infligitur propter originale.



Respondeo, negando consequentiam. Rationem disparitatis dat S. D. q. 5. de malo a. 2. quod poena sensus sit contraria bonae habitudini, & integritati, quae est propria & connaturalis ipsi naturae; at poena damni sit contraria perfectioni naturae excedenti ordinem ipsius naturae; sed non est inconveniens, ut quis detrimentum patiatur in his, quae sunt supra naturam, propter peccatum alterius, quod tamen aliquo modo ad ipsum pertinebat: est tamen inconveniens ut detrimentum patiatur absque suo personali delicto in his, quae sunt naturae suae propria.

Ad confirmat, quoque negatur paritas. neque enim gravitas culpae praesens est ratio, cur infligatur poena sensus; sed quia quis propria voluntate inordinatam delectationem, aut commoditatem quaerit in bono commutabili, quod cum etiam fiat a peccante venialiter, non autem reperitur in habente peccatum originale, patet ratio disparitatis.

9. Obijcies quartò. Sequeretur, quod aliquis habens simul peccatum originale & actuale non majorem poenam in inferno pateretur, quam habens solum peccatum mortale actuale; nam etiam per quodlibet mortale peccatum inducitur poena damni; sed hoc est absurdum; ergo.

Respondeo, poenam ipestando physice & extensivè, non pateretur majorem, concedo; moraliter & intensivè, nego: cum enim habens simul peccatum originale & actuale poenam damni patiatur ex duplici titulo aequato, habetur pro poena magis moraliter intensa & radicata, quemadmodum is, qui propter plura peccata habentia annexam censuram, est excommunicatus, habetur pro magis excommunicato.

10. Obijcies quintò. Ipsa alligatio parvulorum ad limbum est poena sensus; sed hanc in nostra sententia parvuli patiuntur & patientur in aeternum: ergo patiuntur poenam sensus. Major probatur: Poena sensus, quam daemones & animae damnatae patiuntur ab igne infernali iuxta nostram sententiam in Tract. de Angelis, consistit in illorum alligatione & detentione ab igne infernali; sed aequè parvuli alligantur & detinentur à limbo; ergo.

Respondeo, negando majorem; ad probationem distinguo majorem, consistit in illorum detentione ab igne infernali activa, & contraria, concedo; tantum formali, vel negativa detentione, nego. Sed parvuli detinentur à limbo formaliter & negativè, concedo; activè & contrariè, nego minorem & consequentiam. Formaliter & negativè, non autem activè detinentur à limbo, quia limbus est illud spatium, extra quod non possunt esse & operari, id què non propterea, quasi limbus aliqua qualitate producta sibi subjiceret, & à connaturalibus operationibus impediret animas parvulorum, quo modo daemones ab igne torqueri loco citato diximus, sed propter subtractionem Divini concursus, ne extra limbum operari possint, qui est modus negativè detinendi in limbo: ideoque potius dici debet, parvulos detineri & alligari in limbo, quam à limbo. Vide S. D. q. 20. de Verit. a. 1. ad 11.

## §. IV.

Aliqua quaesita resolvuntur.  
R. P. Mezg. Schol. Tom. II.

Quaeres primò: An parvuli propter carentiam visionis patiantur tristitiam, & animi dolorem; quemadmodum adulti sustinentes poenam damni, propterea gravissimè affliguntur?

Respondeo, negativè. Et probatur primò auctoritate Gregorii Nyss. supra citati, qui dicit: *Immatura mors infantrum demonstrat, neque in doloribus, & miseria futurus esse eos, qui sic vivere deserunt.*

Probatur secundò ratione; quia non videtur conveniens, ut parvuli sentiant majorem dolorem, quam sit dolor sensibilis causatus ab igne infernali, si enim ipsos immunitas à personali peccato eximit à dolore minori, cur non magis eximat à majori? Sed juxta doctrinam D. Chrysostomi ho. 24. in Matth. dolor, quem damnati sentiunt ob amissam beatitudinem, major est dolore sensibili, quem ab igne inferni patiuntur: ergo.

Probatur tertio ratione S. D. in 2. dist. 33. q. 2. a. 2. in arg. Sed contra. Recta ratio non patitur, ut aliquis affligatur de eo, quod suam proportionem excedit, sed tantum de eo, quod caret aliquo bono, ad quod jus, exigentiam, aptitudinem, aut proportionem habuit: sicut nullus sapiens homo affligitur de hoc, quod non possit volare: atqui in parvulis nullum erat jus, aptitudo, & proportio ad aeternam gloriam: ergo de ipsius carentia rationabiliter tritari non possunt.

Imò, inquis, habuerunt proportionem, quatenus erant contenti in Adamo. Sed contra occurrit S. D. loco cit. Recta ratio non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipso non fuit, ut vitaretur: sed in pueris est recta ratio nullo actuali peccato obliquata: ergo non turbantur de hoc, quod talem poenam sustineant, quam vitare nullo modo poterunt. Hæc S. D. Unde videtur, ad tristitiam causandam non sufficere, quod haberint remotam & moralem capacitatem ad beatitudinem, quatenus contenti erant in suo capite.

Quaeres secundò: qualis sit futurus status parvulorum post extremum judicium?

Respondeo primò. Illos habituros corpora integra in ea quantitate, quam habuissent, si ad adultam aetatem pervenissent; prout etiam de damnatis dicit S. D. in 4. d. 44. q. 3. a. 1. qc. 1. *ex eo, quod perfecta sunt DEI opera: sed resurrectio est opus peculiare Divinae virtutis.*

Secundò. Erunt immortales, incorruptibiles, impossibiles, non ratione alicujus dotis, aut doni intrinseci, sed ex ordinatione Divina, & defectu exterioris agentis, cum post resurrectionem corporum sola detur actio corporea ad puniendum.

Tertio. Erunt impeccabiles etiam non ab intrinseco, sed ab extrinseco, ex DEI providentia subtrahente concursum ad omne materiale peccati ratione status, quia nimirum jam sunt in termino viae, ubi non amplius mutatur voluntas à dispositione, quam habuit in via, ut habet S. D. q. 5. de malo a. 3. in c. Unde cum infans nullum haberint inordinatum voluntatis actum in via, Divinae providentiae dispositione à simili deordinatione praeservantur in termino viae.

Quartò. Habebunt aliquam cognitionem, & dilectionem DEI, ut auctoris naturae, non tamen amabilem, & efficacem, quae cum habituali & efficaci aversione ab ultimo fine naturali non consistit. Praeter quas cognitiones habituri sunt per species infusas quorundam objectorum naturalium cognitiones, cum hoc sit omnino secundum connaturalem exigentiam naturae rationalis, ut habet

S. D. in 2. d. 33. q. 2. a. 2. in c.

N n 2

TRACTA-